MASTER
NEGATIVE
NO. 92-80599-4

MICROFILMED 1992

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES/NEW YORK

as part of the
"Foundations of Western Civilization Preservation Project"

Funded by the
NATIONAL ENDOWMENT FOR THE HUMANITIES

Reproductions may not be made without permission from
Columbia University Library

COPYRIGHT STATEMENT

The copyright law of the United States -- Title 17, United States Code -- concerns the making of photocopies or other reproductions of copyrighted material...

Columbia University Library reserves the right to refuse to accept a copy order if, in its judgement, fulfillment of the order would involve violation of the copyright law.

AUTHOR:

JACOBSOHN, HERMANN

TITLE:

QUAESTIONES PLAU-
TINAE METRICAE

PLACE:

GOTTINGAE

DATE:

1904

Master Negative #

92-80599-4

COLUMBIA UNIVERSITY LIBRARIES
PRESERVATION DEPARTMENT

BIBLIOGRAPHIC MICROFORM TARGET

Original Material as Filmed - Existing Bibliographic Record

```
BKS/PROD  Books        FUL/BIB   NYCG92-B31743          Acquisitions      NYCG-PT
Record 1 of 0 - Record added today
+
  ID:NYCG92-B31743                RTYP:a    ST:p    FRN:    MS:    EL:      AD:05-06-92
  CC:9668  BLT:am       DCF:?    CSC:?    MOD:     SNR:        ATC:        UD:05-06-92
  CP:gw      L:lat      INT:?    GPC:?    BIO:?    FIC:?       CON:???
  PC:s       PD:1904/            REP:?    CPI:?    FSI:?       ILC:????    II:?
  MMD:       OR:     POL:      DM:      RR:        COL:        EML:        GEN:    BSE:
  040      NNC=|cNNC
  100 1    Jacobsohn, Hermann.
  245 10   Quaestiones Plautinae metricae et grammaticae=|h[microform].=|bDissert
at
        io inauguralis quam...=|cscripsit Hermann Jacobsohn.
  260      Gottingae,=|bOfficina Academica Dieterichiana Typis Expressit,=|c1904.
  300      54 p.
  LDG      ORIG
  QD       05-06-92
```

Restrictions on Use:

TECHNICAL MICROFORM DATA

FILM SIZE: 35mm REDUCTION RATIO: 11 X
IMAGE PLACEMENT: IA (IIA) IB IIB
DATE FILMED: 6-8-92 INITIALS M.D.C.
FILMED BY: RESEARCH PUBLICATIONS, INC WOODBRIDGE, CT


AIIM
Association for Information and Image Management
1100 Wayne Avenue, Suite 1100
Silver Spring, Maryland 20910
301/587-8202
Centimeter
1 2 3 4 5 6 7 8 9 10 11 12 13 14 15 mm
Inches
1 2 3 4 5
MANUFACTURED TO AIIM STANDARDS
BY APPLIED IMAGE, INC.

Cat.

1-

QUAESTIONES PLAUTINAE
METRICAE ET GRAMMATICAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

CONSENSU ET AUCTORITATE

IN ACADEMIA GEORGIA AUGUSTA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

SCRIPSIT

HERMANN JACOBSOHN

LUENEBURGENSIS.

GOTTINGAE

OFFICINA ACADEMICA DIETERICHIANA TYPIS EXPRESSIT

MDCCCCIIII.

1904

8/2 4

2

De dissertatione probanda ad ordinem philos. rettulerunt
F. Leo et J. Wackernagel.

Examen rigorosum habitum est Id. Iul. a. MDCCCCIII.

Permissu ordinis philos. pars dissertationis hoc loco typis exprimitur, tota commentatio litteris Germanicis scripta postea edetur.

AVO CARISSIMO

PIETATIS

ERGO.

Index.

I. Exempla hiatus et syllabae ancipitis, quae in fabulis Plautinis in quarta arsi senarii et in secunda atque sexta arsi trochaici septenarii inveniuntur.

II. De formis et vocibus obsoletis, quae iisdem versus locis deprehenduntur.

III. De syllaba ultima complurium verborum iisdem locis producta.

Quicumque in rebus metricis Plautinis perscrutandis operam dabit, ut hiatum aliquo loco versus excuset, eum respicere necesse est numquam ad hiatum comprobandum satis esse, traditos versus enumerare. Numquam enim fieri poterit, ut hac ratione pro certo confirmetur iam a Plauto hiatum aliquo loco admissum esse, atque nihil eum efficere, qui nihil nisi traditos versus spectat atque maiore aut minore numero exemplorum traditorum pro argumentatione utitur, libro viri docti Maurenbrecher 'Hiatus und Verschleifung im alten Latein' ostenditur. Scilicet negari non potest fundamentum omnis argumentationis versus ipsos esse, sed qua ratione fabulae Plautinae nobis servatae sint, qui scit, aliis causis hiatum excusare studebit [1]). Qua re cum animo proposuerim, ut iam ab ipso poeta hiatum in secunda arsi septenarii trochaici et in quarta arsi senarii iambici itemque in sexta arsi septenarii trochaici admissum esse ostenderem, me demonstraturum esse spero hos locos versus aliis quoque rebus dignos esse, qui inspiciantur.

Primus Kampmannus [2]) hiatum in quarta arsi senarii recte traditum esse contendit [3]). Tum Luchs [4]) versus congessit, qui post verbum iambicum aut creticum hiatum admissum 'in diaeresi ante ultimam dipodiam iambicam' praebent, eos quoque enumerans, in

1) cf. Leonem Plaut. Forsch. 308 squ.

2) annotat. in Plauti Rudentem 1 sqq. ad prologi versum 7, qui illo loco nonnulla exempla hiatus et syllabae ancipitis in quarta arsi inventa affert atque omnino de nonnullis versibus eadem ratione iudicat anno 1830, atque ego in hoc opusculo iudico.

3) Sententias de hiatu a viris doctis prolatas contulit Maurenbrecher l. l. 1 squ.

4) Stud. stud. I 22 squ.

quibus verbum in -m exiens ante ultimam dipodiam invenitur[1]). Contra Klotz[2]) in his exemplis quartam arsim senarii (et item sextam septenarii; 'quarta arsi' ambas significabo) ultima syllaba verbi iambici aut cretici, quod ante vocalem breviaretur, et prima syllaba verbi sequentis effectam esse putat. Sed cum nusquam nisi hoc loco versus senarii, ut interim senarium solum respiciam, talis hiatus traditus sit, Plautum hiatum in arsi collocatum in senario nullo alio loco admisisse, si revera hoc loco admisit, elucet. Ego quidem fateor me non intellegere, cur poetae non licuerit versum velut hoc modo incipere 'mihí áliqua intus . . . . .' Qua re de hiatu vocabulorum complurium syllabarum, quarum ultima breviata priorem syllabam arsis solutae efficiat, actum est. Plane enim alia res est, si vocabula monosyllaba, quae in longam vocalem exeunt, priorem syllabam arsis solutae efficiunt, quia vocabula monosyllaba enclitica esse — velut si verbum spondiacum aut anapaesticum in secunda aut quarta arsi senarii, scil. in quarta et sexta sept. troch. collocatum vocabulo monosyllabo succedenti excusatur — aut proclitice cum verbo sequenti coniungi possunt[3]). Sed etiam verba ante ultimam dipodiam collocata saepe ita hiatum praebent, ut thesis pedis quinti soluta non sit, cuius rei documenta affero haec:

Amph. 141. 'et servos, cuius ego hanc feró imaginem.' qui versus inter alios invenitur (134—152), qui saepe hiatum ostendunt[4]), sed hiatum post arsim traditum solus 141 praebet[5]).

Cas. 2 'fidem qui facitis maxumi, et vos Fides'. Skutsch quidem (Rh. mus. 55, 275 squ.) ⟨ego⟩ post 'et' iniungit, Fidem ipsam prologum dixisse contendens.

Sed quamquam id fieri posse non nego, — nam ad quem pertinent versus 3 et 4 potius quam ad Fidem ipsam? — tamen vix credi potest hoc modo Fidem a poeta in scaenam inductam esse. Ubicumque enim deus aut dea prologum dicit, expressis

1) exempla in A et P tradita vide apud Leonem Forsch. 4 adn. 2.

2) Metrik 132 squ.

3) cf. Leonem forsch. 309.

4) cf. Leonis adnot. ad. 134.

5) hiatum, quem post verbum iambicum correptum Plautum admisisse verisimile est, (cf. Leonem Forsch. 309 et adn. 2, 318) post verbum iambicum non correptum poeta vix admisit.

verbis explicat spectatoribus, ut omnes accurate sciant, quis prologus sit (cf. etiam Leonem Plaut. Forsch. 193). Igitur, si re vera Fides prologum dixit, ab eo, qui vs. 5 sqq. inseruit, versus inductos esse ante vs. 3 puto. Quae si ita sunt, quid impedit, quominus ita oratio processerit: 'fidem qui facitis maxumi et vos Fides. ego enim sum Fides'.

Cas. 549: 'propter operam illius hirqui, improbí edentuli' (A. P.).

Men. 479/80: ait hánc dedisse me sibí, atque eam meae' (A. P.).

Men. 558: 'ut haec, quae boua dant dí mihí, ex me sciat'.

Men. 601ª: 'quam hódie uxori abstuli atque huic detulí Erótio': octonarius iambicus, ubi quidem alter hiatus non plane certus post 'quam' invenitur; contra hiatus post ē verbi 'hodie' in thesi extans legitimus est; sed quaerendum est, num fortasse versus sit septenarius trochaicus.

Men. 1038: 'Salvom tibi ita ut mihi dedísti, réddibó. hic me mane'.

Merc. 412. 'Hercle qui tu recte dicis, et tibí adséntior'; ubi quidem in A ante 'adsentior' extat-ṃ, quare Ritschel ⟨'equidem⟩ adsentior' supplevit.

490: 'Tanti quanti poscit, vin tanti illam emi? Auctarium', ubi persona mutatur.

Poen. 454. 'propítiam Venerem facere utí esset mihi'.

Rud. 7 'iuter mortalis ambuló intérdius'. quem quidem versum Marxius (ind. lect. Gryphius 1892/3) in suspicionem vocavit, sed dubito an non recte.

Vidul. XII. 'Juben hunc insuí in cúlleó átque in altum depórtari . . . . .' (secundum Leonem).

Uno loco verbum in vocalem brevem exiens ante ultimam dipodiam ita collocatum est, ut verbo a vocali incipienti excipiatur: Ep. 653.

'tibi quidem quod ames domi práestost, fidiciná, operá meá'; sed cf. Leonis adnot.

De exemplis, quae verbum in -m exiens praebent, cf. infra.

Cum in senario nullo alio loco nisi in quarta arsi hiatus ita traditus sit, ut syllaba in vocalem exiens duabus syllabis brevibus excipiatur (Cist. 162 et Most. 675 enim, quos Klotz affert,

nihil comprobare apparet), in septenario trochaico praeterea similis hiatus post alteram arsim compluries reperitur:

Amph. 826. 'Amphitruó aliús qui forte ted hinc absenti tamen'.

Aul. 455. 'Intro abí, opera huc conducta est vostra, non oratio', ubi Goelleri mutatio in 'abite' certe necessaria non est.

Cas. 258. 'Cui homini hodie peculi nummus non est plúmbeús'.

Most. 948. 'Cui homini? Ero nostro quaeso, quotiens dicendumst tibi', ubi personae mutatae sunt. Et hic et in quarta arsi exempla tam pauca affero, quia quae alio modo viri docti explicare conati sunt, de iis infra disseram.

Nusquam igitur aliis locis talis hiatus admissus est [1]), quamquam, si re vera poeta tali modo arses finxisset, nihil esset, quod in iambicis septenariis talem hiatum evitasset. Cur enim iamb. sept. incipere non posset velut ita: 'mihí áliquis nupér dedít.....', nisi quia his omnibus locis non arsis soluta esset, sed hiatus post secundam et quartam arsim inveniretur?

Sed etiam post secundam arsim hiatus ita traditi sunt, ut theses monosyllabae eos recipiant, velut:

Amph. 294 'illic homó hoc de umero volt pállium detexere' (ita Leo correxit) de 'illic hómo' cogitari non potest. cf. Luchs Hermes 6, 278 sq.

Asin. 306 'Vae tibí. Hoc testamento Servitus legat tibi'. (ubi personae mutatae sunt).

Capt. 828 'quo hominé adaeque nemo vivit fortunatior' ('hominem' V. E.).

Men. 1087 'Illic homó aut sycophanta aut geminus est frater tuus'.

Merc. 947: 'iam redii exílio salve, mi sodalis Eutyche' ubi quidem facillima coniectura est: '⟨ex⟩ exílio'.

Stich. 374. 'Argenti aurique advexit nimium. Nimis factum bene'.

Truc. 701. 'Di magní, ut égo laetús sum ét laetítia différor'.

Truc. 957 'quíd dedí! ut discinxi hominem. Immo ego vero, qui dedi' (aut hiatus post 'discinxi').

1) de Asin. 372 cf. infra.

Diaeresis significatur hiatu et syllaba ancipiti, si poeta diaeresi post arsin aliquam utitur. Atque revera in fabulis Plautinis non pauca exempla inveniuntur, quae brevem syllabam in quarta aut secunda arsi collocatam productam ostendunt. Rursus omnia exempla, quae viri docti alio modo explicare conati sunt — scilicet quatenus non omni rationi grammaticae repugnant — hoc quidem loco excludam et de iis infra disseram, quamquam eorum maxima pars mea quidem sententia ad 'productionem metricam', qua Plautus usus est, pertinet. Iam alios viros doctos velut Kampmann l. c., ratum hiatum et syllabam ancipitem sine offensione esse in fine dipodiarum versuum iambicorum et trochaicorum, Leo ad Amph. 719 et Asin. 250, Lindsay introd. ad Capt. pag. 42, Ahlberg de proceleusmat. I 127 opinatos esse post quartam quidem arsim Plautum fortiorem incisionem fecisse non ignoro, sed, nisi fallor, nemo omnia documenta collegit. Incipiam a quarta arsi, atque eos quoque versus cum aliis enumerabo, in quibus spondeus aut anapaestus verbo polysyllabo excipitur. Nam quamquam ante 'diaeresin' pedem purum esse exspectamus, tamen mihi concedendum esse puto verbum spondiacum et anapaesticum aut spondeum et anapaestum vocabulum finientem eisdem condicionibus, si arsis brevi syllaba expletur, excusata esse, quibus semper poeta hoc loco versus admisit (cf. Klotz metrik. 323 sqq., Skutsch Forsch. I 126 squ.).

Exempla sunt haec:

Cas. 134 'quom mi illa dicet, mi ánimulé, mi Olympio'.

Skutsch (Phil. 59, 483) verba monosyllaba vocali finita, quamquam priorem syllabam arsis solutae efficere possunt, si vocali excipiuntur, tamen nusquam Plautum ita posuisse, ut iis hiantibus altera syllaba expleatur, comprobavit; qua re hoc loco 'e' vocativi declinationis secundae pro longa syllaba usus est (de altero exemplo cf. infra.)

Capt. 11 'negát hercle ílle ultimús. accedito', si cum Pylade 'illic' legas.

Curc. 438 'quia nudiusquartus vénimús in Cariam'.

Men. 327 'proin tune quo abeas longius ab aedibus'.

506 'sanum est, adulescens, sinciput, intellego'.

Truc. 757 'unum aiebas, tria iam dixti verba, atqué mendacia', cuius sensum Leo Hermes 18, 578 explicavit. 'atque ⟨ea⟩' Guli-

elmius scripsit, sed 'atque' ad sensum satis est [1]). item ubi persona mutata est:

Amph. 719. 'verum non est puero gravida Quid igitur? Insania'.

Asin. 828. 'Age decumbamus sis, pater. Ut iusseris', sive ad alteram recensionem, sive ad scaenae reliquias referendus est.

Ep. 485 'reor et peccatum largiter. Immo haec east'.

Men. 846. 'prius quam turbarum quid faciat amplius. Enim haereo', ubi quidem 'amplius enim haereo' hiatu post -m admisso fortasse eodem iure legi potest.

Merc. 901. 'Dic igitur, ubi illa est? In nostris aedibus. Aedis probas'.

Persa 482. 'quid agis? Credo. Unde agis te, Dordale? Credo tibi'. A. P.

Poen. 722. 'quid si animus esse non sinit? Esto ut sinit'.

Rud. 975 'Mare quidem commune certost omnibus. Adsentio'.

Accedunt Men. 877 'qui me vi cogunt, ut validus insaniam'.

Men 841 'ut ego illi (aut 'illic') oculos exuram lampadibus ardentibus'. Plautum enim vocabulum 'lampas' secundum primam declinationem flexisse eo, quod Calliopius Ter. Ad. 907 'lampadas' tradidit, non comprobatur, immo 'lampas' secundum primam declinationem recentiore demum aetate flectitur (cf. Neue I ^{3} 497 et Hopkins Harv. Stud. IX. 98 squ.).

Pseud. 147 'neque Alexandrina beluata tonsiliá tappetia' in iambico octonario.

Nullo enim modo fieri potest, ut in his verbis accentus in paenultima ponatur, ut duae syllabae ultimae arsin expleant, quae elatio omni usui Plautino in iambis et trochaeis observato obloquitur. Nam quae exempla Klotz (Metrik 274 squ.) affert, praeter ea, quae in primo pede senarii et septenarii iambici aut in primo pede alterius dimidii iambici septenarii inveniuntur, fere omnia alio modo legenda sunt; velut Pseud. 1269 'hostibus fugatis' est ithyphallicus, Rud. 922 Seyffertus ⟨id⟩ ante 'oportet' inserit et anapaestum dimetitur; de Pseud. 146 cf. Leonis adnotationem, Pseud. 218 in versu, quem saepe dimetiuntur septenarium trochaicum:

1) significat 'atque' hoc loco 'atque quidem', ut saepe fit apud Plautum: velut Pers. 394: 'sescenti logi atque Attici omnes', Pseud. 734. cf. Klotz Thesaur. II. 1050. l. 36 sqq.

'ain excétra tu, quaé tibi amicos tot habes . . . . .', ob eam quidem elationem dubium est, item Cas. 211; Stich. 318 cum A 'tonsilia et tappetia' legendum est, de Bacch. 656 cf. Leonem cant. 19. Qua de causa Bacch. 614 incertus est, quem sic dimetiri solent: 'incredibilis imposque animi, inamabilis inlepidus vivó', id est trochaicum octonarium. Stich. 736 autem 'mea suavís amabílis amoéna Stephanium, ad amores tuos' poetam consulto prosodiam inusitatam elegisse perspicuum est. (ad versum cf. etiam Klotz Metrik 265).

Exempla secundae arsis sunt haec:

Capt. 444 'tŭ hŏc agé. tu mĭhi ĕrus nunc es, tu patronus, tu pater'. De 'mihĭ ĕrus nunc es', qua ratione nonnulli viri docti versum dimetiuntur, cf. supra; Camerarius, qui 'tu hoc age. tú mihí nunc erus es' transposuit, altera offensione tradita mutavit, id est iambica mensura pronominis 'mihi', de qua infra disseram.

Cist. 510: 'Non edepol istaec tua dicta nunc in auris recipio'.

Truc. 233 'is amatúr hic ápud nos, qui quod dedit, id oblitust tamen' (A P).

Curc. 192 'ebriola, persollae nugae. Tun meam Venerem vituperas'? Sane fieri potest, ut aliquis contendat in primo pede septenarii trochaici eodem modo atque in primo pede versus iambici atque in anapaestis accentum in paenultima syllaba verbi polysyllabi duabus brevibus finiti positum a poeta permissum esse, ut legendum sit, qua ratione Leo dimetiri vult, 'ebrióla', atque revera Plautus verbis dactylicis eandem licentiam in anapaestis atque in primo pede versuum iambicorum adhibet. Sed quoniam ex verbis non paucis eiusdem mensurae atque 'ebriola' initio versus trochaici — praeterquam quod in consonantem exeant, quae sequenti consonanti excipiatur, aut quod vocalis vocabulum finiens elidatur — nullum ita poeta posuit, rectius statuere videmur hoc quoque loco 'a' vocativi primae declinationis, quod nunquam productum fuit, in secunda arsi loco longae syllabae poetam posuisse (ef. Most. 376 infra).

Men. 1160 'venibit uxor quoque etiam, si quis emptor venerit'; sine dubio enim 'i' personae secundae et tertiae singularis futuri in-bo exeuntis brevis erat.

Merc. 920 'omnibus hic ludificatur me modis. ego stultior'; qua re non necesse est cum Skutschio (Hermes 32, 93) in

'omnibus istic' versum mutari; collocationem pronominum 'hic' et 'me' mutandam non esse Kaempfius (de pron. pers. 28) comprobavit.

Most. 376: 'quaeso edepól, exsurge, pater advenit. Tuus venit pater?' ubi 'quáeso edépol' non magis quam Curc. 192 'ebrióla' verisimile est.

Nonius et Paulus hunc versum ex Agroeco tradiderunt: 'quasi lupus ab armis valeo, clunes infractos gero'.

Incertum esse mihi videtur, an Truc. 579 'érus meus, ocellus tuos, ad te ferre me haec iussit tibi' in numerum horum versuum referendus sit. Klotz (Metrik 256, cf. 265) fere nusquam arsin solutam in syllabam terminalem et initialem duorum verborum continuo sese excipientium ita dispertitam esse contendit, ut altera syllaba verbi posterioris sit longa. In pancis exemplis, quae contra regulam certant, (de Stich. 736 cf. supra) Seyffert hunc quoque versum (Burs. ann. 1894, 284) enumerat, qui fortasse ita legendus est:

'ĕrŭs meús, océllus tŭ(os) ăd te ferre me háec iussit tibi' cum syllaba ancipiti in secunda arsi deprehensa et s verbi 'tuos' ante vocalem eliso.

Pauca exempla traditi versus nobis praebent, atque etiam tum, si omnia, quae, ab aliis viris doctis alio modo explicata, mea quidem sententia ad facultatem productionis metricae verborum in secunda aut quarta arsi collocatorum pertinent, adnumeraveris, non satis multa exsistent, ut eluceat, si quidem adhibuit, non saepe Plautum versui hanc licentiam adhibuisse. Atque item raro talia verba his locis admisit, quae nusquam nisi certis locis versus in fabulis Plautinis inveniuntur. (cf. Leonem Forsch. 309 adn. 3).

Poetas latinos scaenicos formas aut verba, quae speciem antiquitatis prae se ferebant, libenter in fine versus aut in fine hemistichi collocasse, ut praesidio loci versus quasi defenderent, satis notum est. Neque haec consuetudo poesi aliorum populorum ignota erat. Qua re versus ipse vetustatis colorem accipit, si in verba antiqua excurrit. Quam rem accurate tractare operae pretium esset, quod, nisi fallor, adhuc nondum factum est. Ego satis habeo de usu Homerico satis noto commonere, ubi verba et formae obsoletae, necessitate metri non coactae, quamquam saepissime metri causa verba arte coniuncta in fine collocantur (velut

εὐρύοπα Ζῆν vix alio loco poni potest), nusquam nisi in fine inveniuntur velut genitivus plur. fem. ἐᾶων, accus. sg. fem. αἰπήν ex αἰπ*ϝ*ήν natus (J. Schmidt Plur. 58, sed cf. W. Schulze quaest. 442 adn. 4), μηχανάασθαι forma medialis, item plerumque formae mediales verbi ἰδεῖν (cf. Ellendt. drei homer. abhandlungen 24 sqq.) αἶα (cf. Lehrs quaest ep. 261, Kaibel stil u. text der Ἀθ. Πολ. 131), quod non solum metri causa nusquam nisi in fine extat, φυσίζοος αἶα enim aliis quoque locis poni potest, praeterea αἶα cum adiectivo non coniunctum extat B 850. Quodsi verisimile est ob eam causam poetas verba obsoleta in fine collocasse, ut magis verba in aures caderent, versus autem colorem vetustatis acciperent, poetas scaenicos Latinos velut Plautum iam non ob hanc rem verba ita posuisse perspicuum esse mihi videtur, nam omnes formas inusitatas evitare studuerunt. Potius in poesi antiqua formas antiquas certis locis collocatas esse animadverterunt[1]) idque ita usurpaverunt, ut formas antiquas, quas iis lingua praebuit, certis locis defenderent. Quodsi[2]) raro ea verba, quae Plautum in numeris diverbii fere nusquam nisi in fine versus aut in diaeresi iambici septenarii collocavisse constat, ante incisionem post secundam et quartam arsin admissam inveniuntur, tamen quod his locis inveniuntur, id ipsum documento est, quo versus a me enumeratos sine damno metrico traditos esse comprobetur. Nonnullas quidem formas poeta his locis excusare ansus non est velut infinitivos in — ier exeuntes, qui praeter Men. 1005 'luci deripier in via' in iambicis dimetris atque Cas. 723 'amicirier' in lyricis anapaestis (in A) nusquam inveniuntur[3]). item perfecta verborum denominativorum in 'uo' exeuntium, quae ante significationem personae u longum habent: Epid. 363, Pseud. 549, Most. 85 (in fine

1) num talis locus in versu Saturnino initium alterius coli sit eodemque loco hiatus et syllaba anceps admissi sint, nimis incertum est, donec tantum abest, ut de natura Saturnii satis comperti habeamus.

2) de formis Terentianis certis condicionibus versui adhibitis egit Engelbrecht stud. Ter. 43 sqq.

3) Solus versus Accii ex Bruto a Cicerone de divin. I § 44 allatus (Ribbeck poet. trag. pag. 329 fg. 28) praebet 'radiatum solis liquier cursu novo' ante quartam arsin; 'laudarier' initio octonarii iambici Ter. Ad. 535 traditum cum alii tum Hauler Phorm. einl. 63 adn. 1 et Kauer Ad. pag. 177 defendunt, iniuria, ut opinor.

tetrametri bacchei), quae fine versus defensa mea quidem sententia mutanda non sunt [1]), tum 'e' breve exitus tertiae personae pluralis perfecti; cf. Leonem ad Bacch. 668, Poen. 21 [2]).

Contra 'siet' 'possiet' ante ultimam dipodiam inveniuntur Poen. 148 'ubi dissolutus tu sies, ego pendeam'.

Stich. 202 (A P): 'abeunt perquirunt quid siet causae ilico' qui versus vix afferendus est, cf. Leonem ibd. 315, contra quem Skutsch Vollmöllers jb. IV. 84.

Amph. 130 'haud quisquam quaeret qui siem aut quid venerim'.

Bacch. 762 'metuoque ut hodie possiem emolirier', quibus in versibus ante quartam arsin ultima syllaba eliditur.

Cas. 173 in senario lyrico: 'domi et foris aegre quod siet, satis semper est', ubi A P 'sit' tradunt [3]).

Post primam arsin septenarii troch. extat Curc. 322: 'ubi sient, nam illis conventis sane opus est meis dentibus'.

Merc. 175 'quid siet quod me per urbem currens quaerebas modo'. (exempla adnotat Müller nachträge 83).

Verba suffixo — 'culo' finita aut diminutiva sunt, quae suffixis 'cu' et 'lo' formabantur, aut priore aetate in — 'tlo' exierunt, quod — 'clo', 'culo' factum est. Sed temporibus Plautinis lingua Latina antiquam differentiam postea plane obscuratam servaverat. Verba

1) item Solmsen studien zur lat. lautgeschichte 167; de versu Titinii non iudicaverim.

2) fortasse Bacch. 1087 ante diaeresim anapaestici tetrametri catalectici 'quicumque ubi ubí sunt, qui fuerunt:' ita Itali scripserunt. cf. infra.

3) Item ante ultimam dipodiam apud Terentium 'siem' Haut. 1021, Hec. 631 Hec. 567 (?) traditum esse commemorare non omittam; non recte mea quidem sententia iudicat Hauler einl. ad Phorm. pag. 63 adn. etc., item Kauer Ad. pag. 149 ad 83; cf. eundem, qui ad vs. 106 formas antiquas a Terentio fine versus defensas enumerat librosque, qui de his formis Terentianis agunt, laudat. Si Terentius 'scies, sciet' nusquam nisi in fine admittit praeter Haut. 972, ubi 'scies' in secunda arsi extat, contra 'scibo' omnibus locis, Terentio 'scibo' usitatam formam fuisse confirmatur neque interest, utrum 'scies' an 'scibo' sit forma vetustior. Item, si formae longiores in '-avisti' etc. apud Terentium nusquam nisi in fine sunt, has Terentii aetate obsoletas esse in usu cottidiano perspicuum est (cf. Solmsen stud. 176 adn. 2).

enim, quorum suffixum ex — 'tlo' natum erat, — significabant aut instrumentum, quo, aut locum, ubi aliquid fit —, nondum 'Svarabhakti' quae dicitur, vocali utebantur, nisi in fine versus aut coli collocata erant [1]). cf. Lindsay Class. Rev. 1892, 87 squ., lat. gramm. 200, praeterea Seyffert 'Bursians jahresberichte' 1894, 259. Quae formae Svarabhakti vocali auctae laudatis versus locis inveniuntur:

Curc. 368 'poculum grande, aula magna, ut satis consilia suppetant'.

Stich. 272 'ne iste edepol vinum poculo pauxillulo' testantur A P, Placidus Nonius.

Stich. 725 'agedum. Stiche, uter demutassit, poculo multabitur'.

frgm. incert. 28 in iambico octonario ante ultimam dipodiam 'pellibus periculum portenditur'.

Truc. 43 'si semel amoris poculum accepit meri', Rud. 349 'capitalique ex periculo orbas auxilique opumque huc', ubi pro tradito 'periclo' 'periculo' metri causa scribatur necesse est, docent has formas notatis quoque versus locis ita collocari posse, ut paenultima thesin expleat, ultima elidatur. Contra Men. 840 post 'oraclo' hiatus agnosci debet (B praebet 'oraculo'). Truc. 223 autem 'piaculumst miserére nós . . . . . .' ('piaculumst' in A. P.) cogitari potest verba transponenda esse in 'miserere nos piaculumst'. Seyffert (l. l.), qui eorum verborum, quae ante suffixum brevem vocalem praebent, solum 'cubiclum' pristinam formam ostendere putat, Cas. 965 'cubiclúm' falsum esse dicit. Sed fieri potest, ut 'rédi sis ín cubiclúm periísti hércle age, accede huc modo' legamus hiatu post 'periisti' posito. item Lindsay Phil. 51, 367; 'cubiculum' invenitur As. 787, Amph. 808 in fine versus, Most. 696 in creticis ante clausulam, Cas. 769 'in cubiculo exornant duae' ante quartam arsin ultima vocali elisa, velut Rud. 349 'ex periculo orbas'.

Solus versus Pseud. 947 in anapaestis restat: 'Lepido victu, vino, unguentis, et intér pocúla pulpamentis'.

1) Quae cum ita sint, 'clanculum', quod omnibus locis versus collocatur, (cf. Mil. 934, Poen. 913) esse formam deminutivam apparet: cf, Funck, Wölffl. arch. VII 23, Pradel Fleck jb. 26, 501,

Capt. 847 'laridum atque epulas foveri fóculís ferventibus' (cf. Brix-Niemeyer; Solmsen stud. 88 adn. 1); verbum praeterea Pers. 104 in fine versus invenitur.

Cum Romani a Ciceronis aetate coniunctivum praesentis, qui dicitur, semper e stirpe praesentis formare consuevissent, lingua Latina antiqua praeter formas usitatas reliquias veteriorum formarum e stirpe non praesentis signo aucta derivatarum servaverat. Quas formas temporibus poetarum scaenicorum paulatim obsolescere comprobatur eo, quod poetae fere nusquam eis nisi certis versus locis usi sunt, qua de re Lindsay (lat. gramm. 534) non plane accurate dicit: 'Die Aoristformen (scil. 'evenat' etc.) kommen, wie es scheint, nur am versende vor (das gleiche gilt überhaupt im allgemeinen auch von 'attigas, attulas' u. s. w.) und sind daher freiheiten, von denen die dramatischen dichter nur unter dem zwange des metrums gebrauch machten'. Ex iis formis coniunctivus e stirpe 'tag' derivatus invenitur:

1) ita, ut creticus trochaicum septenarium incipiens composito 'attigam' expleatur: Bacch. 445: 'ne attigas puerum istac causa, quando fecit strenue', quem ad versum Nonius 75, 26 formam testatur.

Ep. 723: 'Ne attigas. Ostende vero. Nolo. Non aequum facis'. ('atticas' B E, 'attingas' J.).

Truc. 276: 'Ne attigas me. Egon te tangam .....' 'attinga [s]' A, 'atticas' P.

2) Most. 468: 'Apscedite. Aedes ne attigatis, tangite'. in fine versus Stich. 178.

Pers. 816 in baccheis, de quibus cf. infra.

Mil. 1092 omnes, qui his annis Plautum ediderunt, praeter Ussingium et Leonem (item Lindsay 534) 'remorare abeo. Neque te remoror neque te tago neque te taceo' scripserunt. Traditum 'neque et ago' B, 'neque te tango' C D. Hermannus correxit in 'neque tango'; Leo autem iure (cf. adnot.) 'tago' solum Pacuvium decere contendit, invenitur 'tago' frg. 165, 344, ubi extat in fine versus, ergo ad Plautinos anapaestos non quadrat. Eodem modo compositum 'attigo' semper apud omnes poetas, qui verbum versui adhibuerunt, ita ponitur, ut locus versus usum tueatur. (Pacuv. 228, Acc. 304; solum Turp. fr. 106 (Nonius 75, 26) difficultates praebet: 'ne me attigas atque aufer manum. heia

quam ferocula es', hic locus autem mihi quidem ita corrigendus esse videtur, ut positio verbi usui conveniat.).

Ex lit. dov-anà 'gabe', aumbr. 'purtuvitu, purtuvies', numbr. 'purdovitu', Cypr. δυ*f*άνοι, coniunctivo 'duam' et optativo 'duim' in lingua Latina antiquiore inventis concludendum est praeter radicem, quae 'dare' significat, longa vocali finitam 'dō' in lingua indogermana radicem, quae in dipthougum longam exibat, fuisse doū [1]). Formae autem pristinae Latinitatis 'duim, duam' etc. maximam partem in fine versuum extant; quas tamen praeter finem his locis observavi: Amph. 672 'numquam edepol tu mihi divini [quicquam] creduis post hunc diem' [2]).

Aul. 672 'dicam; nam quod edit tam duim quam perduim'.

Poen. 739 'Diespiter vos perduit. Te quippini'? his igitur locis quartum pedem formae occupant; ante secundam arsim invenitur:

Merc. 401 'Ne duas, neve te advexisse dixeris. Di me adiuvant', ubi 'né duás neu té . . .' longe praeferendum est 'ne duas néve' lectioni [3]), sed versus dubius est, quia in A versus a 'ne duas' non incipit. Luchs (Stud. stud. I 31), qui metricas ob causas has formas (item danunt, fuam) in fine versus praecipue adhibuisse poetam putat, non solum 'eis quoque versus partibus ferendas esse, quibus vix minus quam in fine iambum vel trochaeum spondeo praetulisse Plautum observatum sit', id est 'in pede primo septenarii, in quinto pede septenarii, in quarto pede senarii' existimat, sed etiam eas non improbat, quibus locis ne his quidem finibus usus formarum illarum circumscriptus esse videatur. Quibus locis duo exempla optativi 'duim' nobis tradita sunt:

Pseud. 936 'Tantúm tibi boni di immortales duint quántum tu tibi optes': P habet 'diunt', quae est scriptura usitata librorum pro 'duint', A non legitur; quo uno loco verbum 'duint' lege de correptione verborum iambicorum constituta debilitatum pro pyrr-

---

1) doū priorem formam radicis esse, e qua notis a W. Schulzio K. Z. 27, 420 sqq. inventis condicionibus dō nata sit, verisimile est. cf. H. Pedersen K. Z. 38, 410, Hirt ablaut 32, Reichelt K. Z. 39, 43.

2) scil. creduam, creduim a radice dhē secundum analogiam formarum 'duim, duam' de 'dōu' derivatarum profectum est: cf. Solmsen stud. 133 squ.

3) 'neve' ante consonam nusquam nisi Men. 795 et Merc. 332 extat.

hichio esset, metrum igitur formam non flagitat, immo fieri potest, ut 'dent' scribatur, quod in anapaestis praefero. Unus autem versus in diverbio exstat, qui extra locos a Luchsio enumeratos formam 'duis' praebet: Rud. 1368 (nam corruptus est Men. 451), 'ob eam ne duis, condono te. Benigne edepol facis'. Confiteor autem me vix credere posse hoc uno loco formam antiquam extra fines ceteris locis servatos Plautum admisisse, iniuria enim Luchs vix minus quam in fine iambum post primum creticum septenarii spondeo praetulisse poetam contendit nec minus quam in pede quarto in pede secundo (scil. in transitu pedis tertii ad pedem quartum septenarii) Plautus spondeum vitavit. Neque igitur metricis causis in quarta arsi 'duim' etc. usurpavit, sed usu linguae commotum eum in fine aut interdum ante incisionem posuisse arbitror. Fortasse igitur transponendum est Rud. 1368 'ne duīs ob ĕam, condono te' . . . . .

In lingua vetere nonnulla verba tertiam personam pluralis praesentis exitu 'nunt' efficiunt, quem viri docti nondum explicaverunt [1]). Ex quibus formis poetae scaenici unam iambicam 'danunt' usurpaverunt. Apud Plautum 'danunt', quod fere semper in fine versus aut ante diaeresin septenarii iambici invenitur, quartum pedem explet Pseud. 767: 'cui servitutem di danunt lenoniam', qui versus scaenam incipit, quam viri docti in suspicionem vocaverunt. (cf. Leonis adnot.). Pers. 257:

'danunt, argenti mutui, ut ei egenti opem adferam' initio versus verbum extat, sed quia antea solus Juppiter commemoratur, non caret offensione pluralis 'danunt'. Bothius mutavit in 'dat nunc'.

Contra de coniunctivo a stirpe 'fu' nato 'fuam' valde dubito, num re vera eiusdem condicionis sit cuius 'danunt, duim, duam'. Ultima quidem verbi accentu effertur praeter ultimum versus locum nusquam nisi in secunda arsi Mil. 299 (cf. Ter. Hec. 610), in quarta arsi Capt. 443.

'opsecro, infidelior mihi ne fuás, quam ego sum tibi'.

Pyrrhichius autem extat 260: 'neque te nobis si abeamus hinc, si fuat occasio', ubi licet quidem fortasse 'sí ábeam(us) hinc, sí fuát, occasio' legi. Item de Pseud. 432 'fors fuat an istaec dicta sint mendacia' [1]), alio modo iudicari potest, quia 'fors fuat an' locutio facta est, in qua apud scriptores posterioris aetatis coniunctivus antiquus 'fuam' adhuc servabatur [2]). Sed restant Pers. 51 'sed recipe quam primum potes, cave fuas mi in quaestione', quo uno loco in locutione apud Plautum usitata pro 'sis' 'fuas' apparet, et in anapaestis Trin. 268 'amor mihi amicus ne fúas umquam'.

Praesens 'tolo', quod de radice suffixo non aucta derivatum est, — 'tollo' ex 'tol-no' natum (cf. Sommer lat. gr. 547) — in compositis exstat: in fine versus Pac. 42, Novius 87 (secundum Diomedem 'Naevius'). Diomedes 380 ex Plauti Rudente 'aullas abstulas' loco corrupto testatur; Pac. 228 'custodite istúnc vos, ne vim qui attolat neve attigat' ante ultimam dipodiam. ('attulat' Diomedes 382, 'attollat' Nonius 246). Cas. 447 'stimulorum loculi, protollo mortem mihi' spondeus in quarto pede ita collocatus, ut notis condicionibus non excusetur, forma 'protolo' evitaretur. Plane autem dubium est, num recte Londonensis Cas. 357 'attolamus' pro 'attollamus' tradat, itemque num Diomedes 380, 19 ad hunc locum pertineat. Fortasse secundum haec composita auctor argumenti Cistellariae praesens 'tolo' sibi formavit versu 4: 'tolit atque exponit et ex insidiis aucupat'. (ita Schoell; traditum est 'tollit').

Satis exemplorum traditi versus Plautini nobis praebent, in quibus quartus pes spondeo non excusato efficitur.

Quae exempla minuere, si fieri poterit, nemo dubitabit. Qua re mea quidem sententia Leo rectissime formas praesentis de stirpe 'ven' sine 'i' derivatas, quae in fine versus et semel, Curc. 127, ante diaeresin septenarii iambici apparent (cf. Neue III. ² 258, Lindsay 534), contra codicum scripturam Bacch. 144, 348, Most. 58, 395, Pers. 629, Trin. 583 in locum formarum usitatarum restituit. Quae formae eodem modo atque ceterae radicis 'ven'-, in quibus priore aetate i semivocalis non sequebatur, nasalem dentalem-'n' in locum nasalis labialis-'m', qua haec radix in lingua

1) nullo modo satisfacit Johanssoni explicatio, item Pedersen J. F. II 302, nec magis cuiquam Sommerum lat. gramm. 526 squ. persuasurum esse opinor.

1) ita A, P: 'forsitan ea tibi'.
2) exempla vide apud Neue III. ² 601.

indogermanica finita erat [1]), ex iis formis, in quibus n ante i semivocalem ex m natum esset, accepisse dicuntur (cf. velut v. Planta I. 305, Brugmann grundriss I ² 368, kurze vgl. gramm. 114). Conicere igitur necesse esset, n in persona prima singularis 'venio' et persona tertia pluralis 'veniunt', in coniunctivo 'veniam', fortasse in imperfecto 'veniebam' (cf. Sommer lat. gr. 569) natum m ex ceteris formis tam plane deturbasse, ut nullum vestigium relinqueretur. Atqui in interiore quidem parte verborum -mi- factum esse -ni- comprobatum non est (cf. Ascoli sprachwissenschaftl. briefe 155 f., Kretschmer einleitung in die geschichte der griechischen sprache 158 adnot. 2). Sommer (lat. gr. 221; de con-jungo, con-juro etc. cf. eundem in eadem pagina). propter 'gremium, gumia', quae verba ex omnibus exemplis minime aliis condicionibus mutata esse possint, n ante t in 'ventus' etc. ortum inde in ceteras formas translatum esse censet, quod mihi quidem versimile non esse videtur. Satis habeo de participiis 'emptus', 'sumptus' commonuisse, quae ostendunt, qua ratione discrimen inter n participi ante '-tus' natum et m ceterarum formarum tollatur. Sed ante cetera formis umbricis 'menes' = 'venies', 'benust' etc. = 'venerit', oscis 'kúmbened' = 'convenit', 'kúmbennieis' = 'conventus' n radicis indogermanicae 'g^{u}em' iam in lingua Italica, quae, antequam certae dialecti separatae sunt, fuit, extitisse comprobatur, 'quoniam' autem, quod alterum exemplum huius mutationis esse dicitur, linguae Latinae est. Quare quocumque modo de 'quoniam' iudicaveris — Sommer (ibd. 221) ex quonde + iam = quondjam explicat, alii (contra quos Skutsch Vollmoellers jahresber. IV 91) cum umbr. pone, ponne, osk. pún conferunt et quoniam ex quoni + jam aut quone + jam (cf. thessal. ζ-νε avest kasnā, lat. egone, tune etc.) ortum esse arbitrantur; cf. v. Planta II. 458, Brugmann grdr. I. 1092 — non eiusdem aetatis, ergo non eiusdem condicionis est atque 'ven' — ex 'vem' — natum, praeterquam quod in 'quoniam' m ante 'j' in compositione fuisset.

Quanta varietas exituum indogermanicarum particularum sit, nemo est, qui nesciat. Itaque si gr. κοινός ad lat. 'com, cum' pertinet (cf. G. Meyer griech. gramm. ³ 249), opus non est conicere

1) cf. in lingua sanscritica 'gām', in lingua Gotica qiman, idg. g^{u}em.

κοινός ex κομ-ι̯ός natum esse. Immo 'con' iuxta 'com', 'co' fuisse, κοινός ex κον-ι̯ός natum esse censeo (κον: lat. 'co' = ξύν σύν: ξύ in μεταξύ [1])?) Qua re mea quidem sententia unum certum exemplum mutati -mj- in -vj extat in gr. βαίνω urital. g^{u}en̯o = idg. g^{u}m̥i̯ō (cf. de exemplis Graecis praeter G. Meyerum l. l., Brugmann gr. gr. ³ 77, Hirt gr. gr. 170); χλαῖνα iuxta χλαμύς, quam a Thessalis ceteros Graecos assumpsisse viri antiqui dicebant (cf. Studniczka beitr. zur gesch. der altgriech. tracht 73; adde Bacch. XVII. 53 καὶ οὔλιον Θεσσαλὰν χλαμύδα). nihil probat, quoniam etymon adhuc cognitum non est neque in χλανίς μ eiusdem condicionis fuisset atque in χλάμι̯α. Si autem revera μ consonans genuina est, fortasse ν in χλάνδιον, quam formam pro recentiore χλανίδιον adhuc ostendunt tituli Ionici — Bechtel 220, 30, 36; Ath. Mitth. 16, 291 sq. z. 14, 16 — nascebatur (de χλάνδιον cf. Solmsen unters. 75; alio modo, sed ut opinor, vix recte iudicat J. Schmidt kritik 27 adn, K. Z. 38, 221). Atque ne mireris tam raro χλάνδιον inveniri pro χλαῖνα, admoneo poesin epicam deminutiva fugisse, quibus quin lingua cottidiana multo crebrius usa sit, non dubito. Fortasse μj servatum est in λαιμός contra λαμυρός. (de χλαῖνα, χλανίς, χλαμύς vide Pauly-Wissowa III 2335 sqq.)

Mihi quidem dubium non est, quin mutationem natura morphologica verbi ipsius explicare necesse sit. Mutatus autem est nasalis labialis in nasalem dentalem non sequenti i, sed dissimilatione, quae labiali sono labiovelaris consonantis verbum incipientis efficiebatur eodem modo atque labialis nasalem antecedentem labialem in dentalem dissimilatione mutavit in voce 'tenebrae' ex temesrai (ai támisra-): cf. quae cum Niedermann B. B. 25, 87 tum Solmsen [2]) disseruerunt. eadem dissimilatione in lingua recentioris aetatis nespula ex mespila, nappa ex mappa nascebantur: cf. Brugmann abriss 241. Sed cum in his verbis dissimilatio a posteriore littera regrediatur ad consonam antecedentem, pertinet ad posteriorem consonam item atque in 'venio', βαίνω, velut in ai.

1) cf. Brugmann gr. gr. ³ 454 = lit. sun: su? cf. Kretschmer K. Z. 31, 416 squ.

2) Rh. mus. 56, 498 squ., tum idem 'über dissimil. = und assimilationserscheinungen bei den altgriech. gutturalen': Sbornik statej Včesti F. F. Fortunatova' deutscher sonderabdruck 9.

bhudnás ex bhudmnas (gr. πυθμήν), pāni- (παλάμη), parnám (ahd. farm), bhūna (bhūman-), mahinā (mahiman) etc. (J. Schmidt kritik 91, 114) fortasse in πύανος Πυανεψίων; cf. ibd. 128 squ., Solmsen l. c. 15. Quaerendum autem est, utrum forte in utraque lingua eadem dissimilatio in eodem verbo usurpata, an per regiones linguae Graecae et Italicae haec mutatio ex uno loco pervagata sit, qui consensus linguarum finitimarum memorabilis esset. (cf. de hac quaestione qui ultimi egerunt Hirt gr. gr. 23 squ. et Pedersen K. Z., 38, 341 [1]).

Eodem modo forma 'poplus' loco posterioris formae 'populus' posita, quae 'Svarabhacti' vocali aucta est (cf. supra), anapaestus notis condicionibus non excusatus Stich. 490, evitatur:

'At ei oratores sunt popli, summi viri'; 'populi' praebent A et P. Ceteris locis 'poplus' in fine versus invenitur; nam iniuria Goetz-Schoell Pseud. 178 in anapaestos 'poplo' pro tradito 'populo' inseruerunt [2]).

Cum apud Terentium formae contractae verbi 'malo' formas non contractas expulerint (nusquam nisi Hec. 540 'mavolo' in fine versus hae formae extant), Plautus saepe praeter formas contractas verbo non contracto utitur (cf. Solmsen stud 55 squ.). Sed iam his temporibus formas non contractas antiquas fuisse eo comprobatur, quod usus earum certis finibus circumscriptus est: nusquam enim nisi in fine versus inveniuntur atque ante ultimam dipodiam, quo loco hae sunt: Asin. 877, Aul. 661, Capt. 270, Merc. 356, Pseud. 728, Truc. 277. Pseud. 140 'est eorum opus,

1) Ceterum eadem dissimilatione in quomjam labiovelaris m sequentem in n transmutasse potest: cf. loimos: līmus, cloivos: clīvus, loiquai: līqui, fortasse quoi: quei (Solmsen K. Z. 38, 453 et adn. 2.) Neque quicquam impedire libenter concedo, si quis ita explicare praefert, quominus m in n dissimilatione labialis antecedentis transiisse putemus, si j semivocalis continue sequebatur, quoniam velut in 'vomo, familia' dissimilatio non extat. Quae si ita essent, n in praesente gnemjo, cuius j olim in omnibus personis ante exitum personae apparebat, formisque a praesente derivatis natum in lingua Italica m ex ceteris formis deturbavit. Quamquam dubito dissimilationem hoc modo in certos fines restringere; cf. Solmsen l. l.

2) Leo 'poplo' in primum pedem bacchei tetrametri inseruit Poen. 227 et Pseud. 1129, metro, ut opinor, non coactus; cf. Spengel reformvorschläge 272 squ.

ut mávelís lupos apud ovis línquere'. 'mavelis' in fine coli, id est dimetri trochaici collocatum est. Uno loco 'mavelis' in medio versu ab A et P traditum est: Trin. 306 'útrum itane esse mavelit ut eum animus aequom censeat', ubi 'malit' scribendum atque hiatum legitimum in diaeresi trochaici septenarii post 'eum' constituendum esse puto [1]).

Plerumque in senario verba cretica in fine versus aut ante ultimam dipodiam, saepe in septenario trochaico in iisdem partibus aut ante alteram thesin collocata sunt. Quare, si perpauca exempla alicuius vocabuli extant, quae nusquam nisi his locis versus inveniuntur, nobis cavendum est, ne hac re commoveamur, ut iam in usu linguae Plautinae talia verba inusitata fuisse putemus. Velut dubium esse mihi videtur, an Plautus antiquum exitum compositorum verborum, cuius alteram partem substantivum

1) Nuper Solmsen K. Z. 38, 450 sqq. contendit 'o' alterius syllabae verborum māvolo, Māvors syncope, quae dicitur, deletum esse, in maulo Maurs autem u dissimilatione, quam labialis verbum incipiens effecerit, evanuisse. Quamquam haec ratio explicandi valde placet, ego tamen arbitror etiam nunc nihil obstare, quominus 'mālo' ex 'māvolo', 'Mars' ex 'Māvors' nata esse iudicemus. Nam ut 'sōl' ex 'sāvol' contractum sit (item nunc quoque Kretschmer Z. 38, 132, Brugmann kurze vgl. gramm. 105, 202; sed cf. Sommer lat. gr. 131, Eulenburg I. F. 15, 144 al.), non eiusdem condicionis est 'āvo' in sāvol' atque in 'māvolo 'Māvors' ex 'magsvolo, Magsvors' (aut ex 'magevolo, Magevors': cf. nunc Solmsen I. A. 15, 227) natis, ut nobis sumere liceat, priore aetate ex '-āvo': '-ō', posteriore '-ā' ortum esse. Quamquam rem ita fuisse non dicam. Ergo fieri potuit, ut 'āvo' in 'ā' contraheretur, cum 'mavis, mavelis' (falso iudicat Ehrlich K. Z. 38, 65; cf. Stolz ibd. 425), 'mavellem' servarentur, 'mālo, māvelim' etc. autem 'mavolo malim' procrearent. Intellegas autem, cur 'māvolo' ex formis non contractis redintegratum sit, sed non 'nevolo' etc. secundum 'nevis, nevolt', si consideres, quam crebro optativus 'mavelim' usurpatus sit: extat apud Plautum 37 ies, conj. impf. 9 ies, contra ind. praes. 22 ies, semel ind. fut. et ind. pf.; de 'māvellem' cf. Sommer I. F. 11, 57, lat. gr. 584. Mavors remanet in lingua sollemniore cultus deorum. Fortasse scriptura Μαρκος Μαρκελλος titulis Graecis iam eo tempore adhibita, quo Romani nondum longam vocalem duplico vocali transscripserunt, (cf. Dittenberger syll. I. [2] 286 et 300) quae Osca non esse potest, quoniam de Romanis, non de Oscis agitur, et quae numquam nisi in his a deo Marte derivatis nominibus usurpatur, vocalis ex contractione nata, quae habet 'zweigipfligen accent', significatur. cf. falisk. vootum I. I. I. 70.

'caput' efficit, in 'cipes', qui Rud. 1158 ante ultimam dipodiam, Rud. 671 in fine versus cretici invenitur, Cas. 931 ante diaeresin septenarii iambici pro tradito 'praeceps' restitutus est (Commor. frgm. 'saliam in puteum praecipes': Priscian. I. 280) his locis tueri voluerit. (de grammatica ratione formarum cf. Solmsen K. Z. 34, 36, Sommer lat. gr. 399 adn.). Eodem modo de 'nuperum' Capt. 718 ante ultimam dipodiam posito et de 'laridum' Capt. 847 initio septenarii trochaici, Men. 210 ante ultimam dipodiam, Capt. 903 in fine versus collocato iudicandum est.

Cum in lingua Latina classica, quae dicitur, i infinitivi e' imperfecti coniunctivi verbi 'fio' semper breve sit, apud poetas scaenicos nonnullis locis i longa, ante vocales lege breviata servata aut analogia restituta est; plerumque ita, ut 'fīeri, fīerem' in fine versus inveniatur. Sed extat ante ultimam dipodiam Poen. 1056: 'quid ais? qui potuit fieri, ut Carthagini'.

atque Amph. 593 Maurenbrecher ('hiat und verschleifungt 161) dimetitur fortasse recte:

'fieri, nunc ut tu et hic sis et domi? id dici volo'[1][2]).

Praeterea autem 'fieri' invenitur Amph. 567 'vidít nec potest fieri, tempore úno' in baccheis, Most. 722:

'quid nunc? quam móx? Quid est? Quod solet fieri hic'? in versu cretico, ante finem quidem positum. Iam supra nonnullas formas eiusdem condicionis e creticis et baccheis quoque enumeravi, ut quaerendum sit, num forte easdem licentias his metris atque locis versus, de quibus quaestio est, poeta adhibuerit. Sed antequam id demonstrare conor, eis, quae quis meae argumentationi obicere possit, respondeam. Sunt enim, qui 'fieri' aut alia verba cretica ante alteram thesin septenarii inventa initio versus, quo poeta simili licentia atque in fine usus sit, excusari putent Exemplum autem verbi nusquam nisi initio et in fine versus collocati esse 'fui' 'u producta' praeditum, cf. Spengel Phil. 37, 440, qui dubitans praeter finem 'fui' initio admittit. Contra quam sententiam afferenda sunt: Rud. 1105 'haec Athenis parva fúit . . . .' Rud. 217 'libera ego prognata fúi maxume, nequiquam fui' in

1) 'et' Lomannus inseruit.

2) Skutschius Lit. Centralbl. 1899, 968 fieri non posse contendit, ut hoc loco versus 'fīeri' legendum sit.

quarto pede (Cist. 700[a] 'exiít. hic. cóncilium fuít' in anapaestis in fine versus), Pseud. 1278[a] 'id fúit naenia ludo' in clausula anapaestica (cf. Leonem cantica 43, Wedding B. B. 27, 17), cum 'fūi' Capt. 555, Cas. 910:

'Eloquere At pudét. Num radix fúit? Non fuít. Num cucumis' (in octonario ergo), Rud. 1389 'quando ergo erga te benignus fúi atque opera mea', ubi quidem hiatus non legitimus remanet, initio coli alterius septenarii trochaici quidam excusare possit secundum opinionem cum aliorum tum Skutschii[1][2]). Sed praeterquam quod 'fūi' in medio quoque versu usurpari potest, non explicetur, si tales formas initio versus admitti concedas, cur 'siet' etc. ante alteram thesin inveniatur; idem de initio alterius coli senarii valeat, 'siem' autem in senario post caesuram extans omnino non explicetur.

Sed ut ad metrum creticum et bacchiacum redeam, poetam syllabam ancipitem et hiatum in caesura tetrametri cretici admisisse constat. (cf. Spengel reformvorschläge 122, Wedding l. c. 24) Perrara sunt exempla, quae aliis locis versus cretici inveni. (omitto iterum, quae alio modo tractata sunt): Ep. 57: Epidice. Perdidit me. Quis? Ille qui árma perdidit.' dimetrum creticum et dimetrum iambicum dimetitur Leo cant 10 (persona est mutata!).

Most. 328: 'Sine, siné cádere me. Síno, sed hoc, quod mi in manu est': dimeter cret. et tetrameter trochaicus.

Aul. 142 'Da mihí óperam amabo. Tuast, útere átque' . . . .

Leo (forsch. 270) ‚s' particulae 'magis' eadem ratione atque 'satis etc.' cum consonanti verbum sequens incipienti fere nusquam positionem efficere ostendit. Excipiuntur praeter nonnullos alios Men. 576 'res magís quaeritur quam clientum fides' Most. 702 'quam magís cogito. cum meo animo'. In utroque versu aut syllaba anceps est aut vim consonantis exeuntis locus versus tuetur.

Omnia exempla in altera arsi primi cretici collocata sunt.

In media arsi tetrametrorum baccheorum hiatum et syllabam ancipitem admitti alii viri docti dixerunt (cf. nunc Wedding ibd. 13 squ.), alii negaverunt (cf. Spengel ibd. 205 squ.) . . . . 'satis'

1) Satura Viadrina 142 cum adnot. 1; obloquitur Leo forsch. 242.

2) cf. de fūi Müller nachträge 84 adn. Seyffert. Berl. phil. noch 1898, 1557 Lindsay Capt. introd. pag. 18, ad 555.

positione verbum iambicum fit fere nusquam nisi in baccheis, ubi ita initio coli secundi dimetitur poeta:

Poen. 215 'neque eis ulla ornandi satis satietas est',

Poen. 227 'populó quoilubét plus satís dare potissunt', Trin. 227 'sed hoc non liquet nec satís cogitatumst', fortasse Amph. 648 'satís mi esse ducam'. (de his et ceteris exemplis Leo ibd. 268 sqn. disseruit). Eodem loco 'magis' iambicum extat:

Bacch. 619 'malós quam bonos par magís me iuvare', Truc. 720 'molestusne sum? Nunc magis quam fuisti', Truc. 457 'mater dicta quod sum, eo magis studeo vitae'.

Eodem loco versus bacchiaci haec exempla syllabae ancipitis et hiatus inveni:

Cas. 665 in tetrametris bacchiacis 664—672 'metú mussitant. Occidí atque interíi'. quamquam hunc versum item atque Cas. 683/85:

'adaéque misér. Ludo egó hunc facete' esse posse dimetrum bacchiacum + ithyphallicum non negem: ita Leo cant. pag. 17. (cf. Cas. 834).

Men. 760 legamus licet:

'eás si autumem omnis nimís longus sermost', (pro 'quas' scripsit 'eas' Spengelius.) nam de 'nimís' eodem modo atque de 'satís, magís' hoc loco collocatis iudicandum est.

Most. 125 'nec sumptus ibí sumptui ésse ducúnt'.

Pers. 817 'malum magnum dém. Uteré, te condono' ita P; P[1] 'tu utere', ut videtur secundum Lindsay (Phil. suppl. 7, 123). Sed de quantitate 'e' vocalis verbum 'utere' finientis dubitare licet. 'se' — 're', exitum secundae personae singularis imperativi passivi, ortum esse ex — 'so', quod in lingua Graeca exitus est secundae personae medii temporum praeteritorum et imperativi praesentis medii, fere omnes viri docti contendunt, velut ultimus Brugmann (kurze vgl. gramm. der idg. sprachen I. 254 [1]), esse igitur 'utere' formam iniunctivi. Incertum autem est, num re vera — o breve verba finiens in —e mutatum sit. cf. Brugmann grdr. I.[2] 226 [2])

1) eodem modo de persona altera praesentis passivi 'sequere' iudicant viri docti; sed cf. Leonem forsch. 261, Bechtel N. G. G. 1899, 194.

2) v. Rozwadowski I. F. 3, 275 de 'ille' etc; contradicunt 'endo', 'prŏ', de quibus, qua ratione viri docti explicare conati sint, cf. Lindsay

Atqui Wackernagel [1]) personam alteram pluralis passivi 'sequimini' fuisse infinitivum, qui ex 'seque — menai' ortus sit, censet. Eodem modo mihi verisimile est 'sequere' ex infinitivo factum esse imperativum. Quod aliis causis commotus iam Stolz (Wien. stud. IX 303) contendit, qui dubitans '-se' imperativi passivi Latini cum 'σαι' infinitivi Graeci, '-sē' (velut in je-ṣe) cuiusdam exitus infinitivi linguae Vedicae etc. confert. Sed licet haec derivatio legibus linguae Latinae repugnet, tamen nihil impedit, quominus 'sequere' eandem formam esse atque infinitivum activi 'legere' ex lege-si, locativo singularis stirpis -s- finitae derivatum, qui infinitivus (de usu infinitivi Bartholomae I. F. II 276 sqq.) in lingua Vedica imperativo II. ps. sg. significando adhibebatur [2]), contendamus. Igitur in hac una forma facultates infinitivi et imperativi significandi et vice temporis historici fungendi (cf. Wack. ibd.) consociatae sunt [3]); Quae si ita sunt, confitendum est, si Solmsen (I. F. 4, 243 squ.) iure linguam Latinam veterem infinitivos activi 'e' longo ex diphthongo 'ai' nato finitos servasse putavit [4]), eodem modo fieri posse, ut imperativum vetere aetate et-e brevi et-e longo (aut-ei, ī) finitum esse censeamus, quamquam hoc unum exemplum nihil probat; quare syllabam ancipitem hoc loco pono [5]).

Rud. 1129 'populo strenui, mi improbí úsui sunt' ita A. P.

Poen. 212 'nam nullae magís res duae plus negoti' 'magís' positionem in priore arsi pedis alterius efficit, quo loco haec alia exempla extant:

lat. gr. 609 squ. [cf. nunc Brugmann 'die Demonstrativpronomina der indogermanischen Sprachen' p. 81.] Potius exitus medii — 'so' est in formis a titulis servatis, ubi altera pers. sg. in — rus desinit. cf. Sommer lat. gr. 536, Vetter, Wien. stud. 24, 534 sqq. verisimile esse mihi videtur exitum — 'so' > 'ro' secundum — 'ris', quod nondum explicatum est, littera s auctum, exitum — 'ros' autem in — 'rus' mutatum esse. Neque placet putare ab eadem forma — 'rus' et — 'ris', — 're' descendere.

1) verhandlungen der Philol.-Versammlung in Zürich 1887, 199, cf. Brugmann grdr. II 155, Sommer lat. gr. 536 squ.

2) cf. śro-ṣi 'höre', vak-ṣi 'sprich' etc.: Bartholomae ibd. 271, sqq.

3) Alio modo de primario seque-se Brugmann grdr. II 1393 adn.

4) qua de re cf. infra.

5) scil. Pers. 848 ..... 'loquere tu etiam, frustum pueri' in anapaestis (cf. Skutsch. Phil. 59, 483 adn. 4) nullo modo idoneus est, qui ē imperativi longum esse confirmet.

Cas. 738 'Servos sum tuos. Optumest. Opsecro te' (ita A P.), cum persona mutata.

Rud. 278. 'quibús nec locús ullus nec spes paratast'.

Poen. 214 'aeque umquam satís hae duae res ornantur' Ritschl removit. Sed quaeritur, an paulo post Plauti aetatem adiunctus sit.

Uno loco Rud. 278 in priore arsi primi pedis bacchiaci 's' verbi 'quibus' una cum consonanti, qua verbum sequens incipitur, positionem efficit [1] [2]).

Perrara sunt exempla, quae ex creticis et baccheis afferri possunt, sed in creticis et baccheis verba non desunt, quae nusquam nisi in his aut in his et in partibus versus supra tractatis inveniuntur, quod iam supra commemoravi. Quamquam 'siem' in fine versus cretici collocatum, 'saeculum' vocali anaptyctica instructum Trin. 284 ante diaeresin positum nihil probant, tamen in baccheis extant nonnulla velut Men. 764[a] 'siet': 'verúm propemodum iam scio, quid siet rei', Pers. 816 'cave sis me attigas ne tibi hóc scipione' cf. supra. 'attingas' B. D [2].

'tametsi' apud Plautum nondum in unum verbum coaluisse eo comprobatur, quod unquam Plautus verbo trisyllabo utitur, sed omnibus locis 'am' ante vocalem sequentem elidit excepto Rud. 244 'redi et respice ad nos tamétsi occupatus' in baccheis, ut mensuram trisyllabam metrum tueatur; cf. Lindsay ad Capt. 321, eundemque introd. pag. 51, ubi Amph. 532 'scelestissimum te arbitror. Num quam ob rem' ex baccheis comparat [3]).

Item solum metrum bacchiacum admittere 'coēpi' trisyllabum Lindsay l. c. pag. 29 dicit. Quam formam apud Plautum falsam non esse cum alii viri docti contenderunt, tum Bergk (Fleck. jb. 1872 (105), 124) eam defendit. Extat apud Lucretium IV 619 et in versu aliquo annalibus Enni ascripto [4]) in fine hexametri. Apud Plautum praeter Cas. 761:

1) cf. Leonem ibd. 272.

2) Mil. 1103 ob eam causam falso etiam nunc Niemeyer scripsit: 'quibús comitata recte deveniat domum'; 'concomitata' iam Acidalius.

3) 'tamen' et 'etsi' versu disiuncta sunt Mil. 1209. trisyllabum 'tametsi' Cas. 954 fortasse statuendum esse in glyconeis cum colo —∪—∪∪— coniunctis Leo putat cant. 54 adn.

4) Vahlen 618, ubi Lachmann ad Lucr. IV. 619 pro 'retinere coepit' scripsit 'portendere coepit'.

'nam quod non ego id perpetrem quód coépi' et fortasse Cas. 651 'tua ancilla hoc pacto exordiri coepit' in fine versus bacchiaci et Cist. 687 'sed pérgam út coépi tamén quaeritabo' in fine alterius metri Merc. 533 . . . . . 'quom mecum rem coépit' in fine iambici septenarii occurrit [1]).

Memorabilis forma est 'guaruris' posteriore aetate a scriptoribus, qui veteres poetas imitabantur, usurpata [2]). Apud Plautum 'gnarures' Poen. 47 extat in fine versus et Most. 100 'simúl gnaruris vos volo esse hanc rem mecum' in baccheis, fortasse in his collocatum, ut verbum obsoletum versus loco defenderetur.

Cum 'redducere' usitata mensura sit, plerumque adiectivum 'redux' priorem syllabam brevem praebet, bis autem 'reddux' extat:

Capt. 923 'quom te redducem tuo patri reddiderunt', Rud. 909 'templis redducem, plurima praeda onustum' [3]), quibus ex versibus bacchiacis Fleckeisen ann. 147, 196 squ. has formas iniuria expellere voluit (cf. Lindsay Capt. pag. 17, ad. vs. 923).

Nusquam 'eccere' ita collocatum est, ut perscipuum sit, qua ratione Plautus ultimam dimensus sit, (cf. Bachius Stud. stud. II 391 squ.) nisi in baccheis Amph. 554:

'mihi praedicas. Eccere, iam tuatim', quo ex versu ultimam syllabam longam esse viri docti concluserunt. Sed quoniam hoc loco Plautum interdum syllaba ancipiti usum esse demonstrare conatus sum, hac re nisus ex hoc quoque versu nihil de quantitate elucere arbitror.

Maurenbrecher in libro supra adlato pag. 43—71 comprobare studuit '-m' consonantem syllabae verbum finientis ita post vocalem evanuisse, ut primum nasalis vocalis longa oreretur, deinde haec longa vocalis breviaretur, apud Plautum autem ante vocalem syllabam in '-m' exeuntem hiatumque efficientem et longam et brevem esse posse. Quam argumentationem perversam esse persuasum habeo [4]). Nam quo modo scripturam 'diee' = 'diem' [5]),

1) De differentia perfectorum 'coēgi' et 'coepi' cf. Osthoff Perfect 158.

2) cf. Lorenz Most. pag. 31 adn.

3) hic locus quidem corruptus est, deest 'et' initio.

4) cf. Diehl G. G. A. 1899, 683 sq., Kirchhoff Fl. jb. suppl. 1902, 15.

5) cf. etiam de hoc loco Leonem forsch. 238 et adn. 1, Skutschium Vollmöllers jb. V. 58.

quam e Catone Quintilianus inst. or. IX 4. 39 affert, ex exemplis in arsibus versus hexametri inventis (Maurenbrecher ibd. pag. 24 et 58) concludi potest ullo tempore in lingua Latina syllabam in brevem vocalem et 'm' exeuntem longam fuisse, nisi argumentum esse arbitreris, qua ratione Maurenbrecher pag. 68 squ. numeros comparat? Ego hiatum in -m ita explicem J. Schmidtii disputationem (vocal. I. 98 sqq.) complectens: In lingua Avestica et vetere Franco-Gallica -m vocalem antecedentem nasali sono instruxit: cf. Jackson, Avesta Grammar pag. 13, Meyer-Luebke, gramm. der rom. sprachen I. 309 squ. Postea autem vocalem nasalem et m in unam nasalem vocalem confluxisse ostendit velut scriptura defectiva in Avesta praeter scripturam, quae nasalem vocalem et -m ostendit, extans: velut yą iuxta yąn etc. Eadem ratione in lingua Latina primum nasalis sonus consonantis -m in vocalem praecuntem translatus est, deinde nasalis vocalis et nasalis verbum finiens in vocalem nasalem coaluerunt. Quare quia per longum temporis spatium non certe decerni poterat, utrum in nasalem vocalem an in nasalem vocalem et -m verbum desineret, et elisio et hiatus admissus est, quae diversa ratio pronuntiandi in viva pronuntiatione retenta est: cf. Leonem forsch. 302 et Kirchhoffium l. c. 7 sqq., qui in viva pronuntiatione -m aliquam vim ante vocales retinuisse comprobat. Scil. ante consonam nasalis vocalis et nasalis consonans extant, (cf. Leonem ibd.), concludendum igitur est primum ante vocalem nasalem vocalem et -m in unam nasalem litteram confluxisse. Quod Sommer (lat. gr. 322 sp.) dicit, mihi non persuadet. (cf. Skutschium quoque Vollm. jb. IV. 83.) Exemplorum autem, quae Maurenbrecher pag. 56 affert, in quibus syllaba in -m exiens ante vocalem arsin explet, (cf. Leonem forsch. 4 cum adnot. 3.) haec secunda et quarta arsi excusantur:

I. Amph. 968 'Blepharonem, ut re divina facta mecum prandeat' (Loewius Goetzius scribunt 'qui re divina').

Capt. 862 'atque agnum afferri proprium pinguem. Cur? Ut sacrufices'.

Lindsay (ad locum) 'proprīum' dimetitur, quod Merc. 338 et Trin. 1130 legendum esse verisimile sit. Merc. 338 autem, ubi 'proprīum' in versu bacchiaco inter anapaestos (aut trochaeos) collocato extare sibi sumit, coniectura ei opus est, ut versus hunc in

modum restituatur, atque plane ad arbitrium Trin. 1130 in versu corrupto et cum sequenti versu a loco suo alieno [1]) 'proprīum' legit. Praeterea ne etymon quidem, quo Lindsay nisus vocalem longam fuisse contendit, recte se habet. Nam si re vera 'proprius' ex 'pro' et 'prīvus' natum esset, fieri non potuisset, quin, cum 'prīvus' priore aetate 'preivos' esset (cf. osk. 'preivatud', umbr. 'preve', preivatod Sen. cons. l. 16), ex propreivos 'propreus', sed non 'proprius' factum esset, confer 'deus' ex 'deivos' natum [2]) [3]).

Curc. 463 'hálapantám an sycophantam mag(is) esse dicam nescio'. (Maur. om.)

Merc. 426 'senex est quidam, qui illam mandavit mihi ut emerém ad istanc faciem. At míhi quidam ádulescens, pater'. Leo scripsit 'ut emerem ⟨áut⟩ ad istanc faciem ....' 'illam' versus antecedentis probari verbis versus 443 'sanus non est ex amore illius' arbitratus. Quod fieri non posse cum Seyfferto Berl. phil. woch. 1896, 845 puto; nam multum interest, utrum vs. 426, ubi primum Demipho senem commemoratur, an 443, ubi iam multo acrior fit altercatio et impatientia senis, expressis verbis dicit Demipho, senem illam ipsam cupere. Accedit, quod Plautus non ita dicturus fuerit, ut primum 'illam' senex commemomaret, deinde 'ad istanc faciem', hac enim ratione gradatio tollitur. Immo vs. 426 'illam' est corruptum, 'aliquam' scripsit Ritschelius.

Poen. 1295 'propemodúm hoc opsonare prandium potero mihi' (A P.)

Stich. 344 'iam dudúm ego istum patior dicere iniuste mihi' (A P.)

II Amph. 321. 'Olet homo quidam malo suo. Ei numnám ego obolui?

Asin. 85 'dotálem servom Sauream uxor tua'.

Merc. 706 'vidisse credo mulierem in aedibus'.

---

1) cf. Leonis adnot.; quos versus in locum genuinorum Plautinorum, qui communem sententiam continebant, concessisse versimile est; nam si 1130, 1131 induxeris, non recte 1132 post 1129 sententia continuatur.

2) cf. Thurneysen K. Z. 28, 155, cui Brugmann grdr. I² 184, 318, J. F. 6, 89 Sommer lat. gr. 87 consentiunt: deivos: deōs: deos, quae verisimilior est explicandi ratio quam qua ratione Solmsen (stud. 71) hoc verbum explicat.

3) cf. Leo G. G. A. 1904, 368.

Pseud. 938 (A P.) 'neque ego hoc homine quemquam vidi magis malúm et maleficum' Maur. om., Leo (cf. adn.) fieri posse, ut anapaesti sint, putat. Sed neque sine offensione esset mensura 'hominē'[1]), neque certum est Plautum octonariis hypercatalecticis anapaesticis usum esse (qua de re cf. infra). Nam, si anapaesti statuuntur, cum A B 938 et 938ª coniuncti legendi sunt (ita Goetz-Schoell ed. min.)

Rud. 70 'nam Arcturus signum sum omniúm acerrimum'.

Trin. 425 (A P.) 'Trapezitae mille drachumarum Olympico'. (Maur. om..)

Trin. 1185. 'miseria ⟨una⟩ uni quidem hominist adfatim. Immo huic parumst' cum persona mutata, cuius exempla Maur. omnia non adfert.

III. Cas. 200 'clam virúm, et quae habet, partum ei haud cómmode est' in fine primi pedis cretici tetrametri, eodem loco, sed ut persona mutata sit, Rud. 243:

'Cédo manúm. Accipe. Dic, vivisne? obsecro'. Poen. 211 in priore arsi pedis alterius tetrametri bacchiaci 'navem ét mulierem haec duo comparato'. Ex exemplis, quae restant, Merc. 749 (qui versus alteram offensionem praebet, cf. infra), 788, Mil. 1057, Pseud. 1315 (A P.), Trin. 375 (A P.) syllabam in —m exeuntem ante vocalem pro longa usurpatam ante personam mutatam ostendunt, Cas. 1004 (A P.) rectius legendum est: 'Cénseó ecastor veniam hanc dandam. Faciam út iubes', ut hiatus post 'censeo' ante diaeresin sit; spondeus in quarto pede verbo pyrrhichiaco sequenti excusatur. Curc. 701 dimetitur Maurenbrecher 'animum advértité si póssum hoc inter etc.'; quia Plautum thesin duabus brevibus syllabis compositam ita effecisse, ut una aut ambae verbum polysyllabum finirent, contra Leonem (forsch. 236 squ.) comprobasse sibi videtur. Argumentationem autem viri docti (pag. 26 sqq.) falsam esse neminem esse confido, qui neget, de Pers. 190 cf. infra; quo modo fieri possit, ut quisquam Pseud. 667, 1182, Stich. 67, 701, Trin. 935, Bacch. 787, Pers. 15 ad hanc sententiam confirmandam afferat, non intellego. Stich. 718 antea Skutschium 'erpe ex ore' (forsch. 46 adn. 2) proposuisse notum est, nunc idem in quinto pede septenarii trochaici Plauto facultatem creticorum

1) cf. infra; Sprengel reformv. 403 scripsit 'hominem'.

verborum breviandorum eodem modo atque in primo pede et in anapaestis fuisse putat (Sat. Viadr. 142 adn. 1[1]), Truc. 810 legendum est 'pertinét ad víros', Aul. 395 'config(e) sagittis' aut 'confige ságittis, de Truc. 19, Amph. 157, Pers. 319 agere opus non est (cf. Skutschium quoque lit. Centr. 1899, 969). Reliquuntur Cist. 531, Rud. 112, Persa 284, Bacch. 412 ('perdidit assentatio', nisi licentiam quinti pedis septenarii trochaici 'perdidit' admittere credas), Trin. 792, cuius initium corruptum est, quae exempla satis esse nemo existimabit. Ad Trin. 792 Maur. dicit numquam exitum tertiae personae singularis perfecti longam fuisse. pag. 107 adn. 2. quid sibi velit: 'die Länge von 'īt' (die nicht ursprünglich ist) tritt bei Plautus nur unter dem ictus ein', me fugit. Ignoro, qua ratione iudicet. Sane quin praeter longam vocalem in lingua Latina exitus tertiae singularis perfecti brevem vocalem praebuerit, dubitandum non est, (cf. quae rectissime Sommer lat. gr. 617 squ. exponit) neque apud Plautum testimonia brevis vocalis desunt.

Bacch. 665. 'fecit ex patre' in trochaico colo cum creticis coniuncto.

Cist. 312 'nimis lepide exconcinnavit hasce.....' ante diaeresin septenarii iambici; brevem vocalem autem tam raro extare mirum non est in versibus Plautinis: Itaque Skutschio (sat. Viadr. 143 adn. 2) non licuit tam confidenter loqui 'weil ja bekanntlich das i der 3 sg. pf. zu Plautinischer Zeit noch lang war' (eodem modo non recte iudicat Leo forsch. 237). Lindsay Capt. intr. pag. 13 brevem syllabam duobus locis Plautinis non comprobari censet, iniuria, ut opinor, quia brevis vocalis in inscriptionibus sine dubio extat atque hic vocalis origine brevis est, non decurtatus temporibus Plautinis. Contra quin 'e' breve coniunctivi praesentis primae coniugationis Rud. 212 in colo cretico 'monstret ita, nunc' falso traditum sit, dubium non est, quia 'e' coniunctivi origine longum pristinam quantitatem apud Plautum servavit (cf. C. F. W. Müller pros. 64). fortasse versus ita mutandus est: 'qui mihi ex his locis, aut viam monstret aut semitam ita nunc'. (A non legitur.)

Curc. 701 Fleckeisen ante 'si' inserit 'ego', fortasse mutari potest 'animum advortite hoc si possum.....' Ep. 363 'astútiam

1) nuper alio modo C. F. W. Müller (Rh. Mus. 54, 538) versum corrigere conatus est.

institūi' ita legi posse, ut ū perfecti longum sit, quod in fine versus non offendat, supra iam dixi.

Most. 6 iam Acidalius correxit 'clamatio' in 'clamitatio [1])'. Hi restant versus: Aul. 55 (cf. Diehl. G. G. A. 1899, 684), Mil. 1236, Poen. 328, Pseud. 449 et 493, quo in utroque versu syllaba in m exiens primam arsin senarii explet, Pseud. 1258 [2]), quibus variis modis viri docti mederi conati sunt.

Eadem pagina 56 Maurenbrecher eos versus affert, in quibus syllaba in 'm' exiens una cum prima syllaba brevi vocabuli sequentis arsin solutam explere dicitur. Sed cum valde dubitem, num syllaba in 'm' exiens in arsi posita hiatum efficere possit, quam facultatem syllabae in m exeunti in thesi fuisse verisimillimum est, iamque supra fieri non posse demonstraverim, ut ultima syllaba verbi polysyllabi vocali finita una cum prima syllaba verbi sequentis a vocali incipienti hiato admisso arsin faciat, hiatum in his versibus traditum littera 'm' syllabam finienti non excusari censeo. Extat syllaba in 'm' exiens in secunda arsi: Capt. 921: 'nám hic quidém, ut adornat, aut iam nihil est aut iam nihil erit [3])'. Curc. 204 'aeditumum aperire fanum quo usque, quaeso, ad hunc modum' in versu non recte tradito, ut de initio quoque dubitandum sit. in quarta arsi:

Asin. 757 'neque illaec ulli pede pedém homini premat'.

Capt. 373 'sequere. ém tibi hominem. Gratiám habeo tibi'.

idem exitus versus Mil. 1425 (A. P.) extat; hiatus arsi admissus verbis arte inter se coniunctis, id quod Lindsay ad Capt. 303 opinatur, non excusatur.

Most. 999 'numquid processit ad forúm hodie novi?'

Pers. 433 'mirum, quin tibi ego crederem, ut idem mihi' (A P.)

Poen. 740. 'Ibo et pultabo ianuám. Ita quippini' ante personam mutatam. Leo mutavit in 'ianuam iam. Quippini?'

Pseud. 346 'militi Macedonio, et iam quindecim habeo minas' (A P.)

1) 'clamatio' testatur glossa in C. Gl. L. II 258_{33}; de 'clamitatio' cf. Bögel Fl. suppl. 28, 94.

2) Dubium est Cist. 775, ubi fortasse secundum Schoellium tradita verba ex 'etiam Lampadionem' corrupta sunt.

3) in A legitur 'nam hic qu[idem ut ador] nat....'

Vid. 24 'Dare possum, opinor, satis bonum operarium.' (pro 'satis' fort. 'si vis' A.); Vid. 87 'quin mihi qui vivam copiam inopi facit.'

E reliquis Amph. 9 'ádferam éa uti nuntiem' traditum est, Amph. 401 ineptus et vitiosus est (quem Fleckeisen delevit), Bacch. 1098 pro 'reliquóm id', quod Maur. scripsit, 'relicuom id' legendum esse nemo est, qui nesciat, Mil. 1357 (a Maur. omissum) fieri nullo modo potest, ut 'habe bonum animum' recte se habeat, quia paenultimam arsin ita duabus brevibus syllabis effici, ut hae syllabae in duo verba dispertitae sint, vetitum est. Restant Aul. 323 'cocum ego dico', quod Acidalius correxit in 'cocum érgo dico'; Bacch. 558 (A P.), 1193 (in anapaestis), Persa 274 (A P.), Poen. 1386 in exitu non Plautino, quos viri docti corrigere conati sunt [1]) [2]). Most 593 'quid ais, tu omnium hominum taeterrime?' (ita A) 'um' syllabam verbi 'omnium' in hiatu esse posse si statueres, non recte versus procederet, quia caesura careret, qua de causa hoc modo versus non recte traditus est. P praebet 'hominum omnium', quam collocationem falsam esse praeter finem versus docet Brixius Trin. [4] pag. 143.

Contra Maurenbrecher (pag. 70 squ.) verba monosyllaba 'm' consona finita arsim explere potuisse negat, 'rēm' autem ita traditum, ut arsin expleat, recte se habere iudicat. Exempla haec sunt: In quarta arsi: Capt. 995 'eheu, quom ego plus minúsve feci quám aequom fuit', ubi viri docti 'me' post 'quam' inserunt.

Truc. 842 'eundem pol te iudicasse quidem istam rém intellego'. Dubium autem non est, quin versus hoc modo falso traditus sit, neque sufficit, id quod Maurenbrecher fecit, 'iudicasse' in 'iudicare' mutari. Leo verba in 'qui admisti eam rem intellego' correxit. Qua re unum testimonium, quod Maur. affert, ut accusativi 'rem' voca-

1) Facile est Pers. 274 quoque emendare 'ego' post 'ut' inserto. de formula 'ut ego opinor' iuxta 'ut opinor' cf. Kaempfius de pron. pers. 4.

2) Epid. 606 praebet A 'si invenio, exitiabilem ego faciam ut hic fiat dies', quod defendit Vahlenus Hermes 17, 598 sqq., qui ipse fieri posse, ut 'ei' aut 'illi' post 'exitiabilem' inseratur, putat, quod 'illi' P. habet: 'si invenio, exitiabilem égo illi faciam hunc ut fiat diem'.

lem origine longam servatam esse usque ad Plautum confirmet, tollitur, nam qua ratione dimeter anapaesticus Trin. 842 'quam hic rĕm ăgāt animum advortam', ne plane certe quidem traditus (A. praebet 'rem agat gerit', P. 'rem': cf. Leonis adnot.) vocalem longam verbi 'rem' comprobet, non intellego [1]).

Pseud. 549 'iám hĕri cónstitŭeram' dimetiendum est. (cf. Solmsen stud. 167), Truc. 704 'tum illuc' pro 'tum hoc' scribatur necesse est: cf. Bachius Stud. stud. 2, 276, ut unus versus: Epid. 435 relinquatur, qui facile sanari potest (Most. 1163 eodem iure atque hiatus post 'sum' hiatus post 'neque' traditus esse potest.)

Postquam hoc modo, ut opinor, numerus testimoniorum, quae in secunda aut quarta arsi hiatum aut productionem metricam praebent, aliquantum auctus est, eos versus enumerabo, in quibus syllaba origine longa, sed temporibus Plautinis iam breviata, in secunda aut quarta arsi collocata est. Sed quoniam his locis versus et brevem vocalem pro longa usurpari et formas antiquas aliis locis non admissas nisi in fine versus poetam collocasse me demonstravisse confido, dubitare licet de singulis formis, utrum longam vocalem servatam ostendant his locis an vocalis brevis, quae una in lingua locum obtinuerit, metro producta sit. Tamen minus fallaci via utamur, si eas formas antiquis vocalibus productis praeditas, quarum alia vestigia in linguae Latinae monumentis non exstent, etiam Plauto abiudicamus.

De exitu nominativi singularis primae declinationis cum multi alii, tum ultimus Wedding (de vocalibus productis Lat. voces terminantibus B. B. XXVII., 1 squ.) disseruit. (cf. Ahlberg de proceleusmat. 124 sqq.) Quin temporibus Plautinis iam in 'a' correptum exierit, dubium non est, sed restant nonulli versus, in quibus 'a' longum deprehenditur. De quibus Wedding (l. c.) non plane accurate omnibus locis egit [2]), sed superfluum est, rursus versus

1) quin brevis vocalis verbi 'rĕm' fuerit, dubitandum non est velut Merc. 535 'quom tecum rem habet certo' (ita P.) in paenultima thesi septenarii iambici: qua de re cf. infra.

2) velut ad Cist. 555 ignorat, spondeum in posteriore pede primae et alterius dipodiae inventum verbo monosyllabo sequenti excusari, Bacch. 893 putat 'Minérvă Lătóna' Plautum dimensum esse licentia in nominibus propriis assumpta (!) et 'antepaenultima verbi 'Latona' e lege iamborum correptionis breviata (!!), etc.

enumerare, qui, quin corrupte traditi sint, non est dubium [1]). In quarta arsi autem inveniuntur haec exempla:

Cist. 606 'nata, inquam, meo ero est filiá. Certe modo' cum persona mutata.

Epid. 498 'potuit: plus iam sum libera quinquennium' (A. P.).

Poen. 85 'altéra quinquennis, altera quadrimula'.

Poen. 1052 'haec mi hospitalis tesserá cum illo fuit'. (cf. Phil. 59, 483): cf. Kampmannus l. c. pag. 4.

Curc. 602 'pater istum meus gestitavit At meá matertera', quem versum recte traditum esse censeo.

Dubius est Curc. 46 'eam vólt meretricem facere. eá me deperit', quia hiatum post 'facere' traditum esse opinari licet.

In baccheis: Bacch. 1128 'Pol hódie álterá iám bis detónsa certo est': Leo (item Wedding) dimetitur dimetrum bacchiacum + clausulam Reizianam, sed hoc versus loco 'a' metro productum esse eodem modo atque in versibus supra e baccheis allatis puto. Item fieri quidem potest, ut Cas. 655 legatur secundum P:

'dicám tua ancillá quam tu tuo vilico vis', quamquam verisimilius est verbum 'dicam' versui 654, cui in A. adhaeret, attribuendum esse, quia, si cum P. legas, in uno verso duae arses solutae (cf. quae Spengel reformv. 260 squ. de arsibus in baccheis solutis exponit) et syllaba anceps extent.

Cas. 696 (A. P.) 'quid uxor meá? nón adiit atque ademit' item legi potest. Ad Truc. 459 cf. Wedding 13, de Pseud. 1278ª Leonis mensuram, qui paroemiacum dimetitur, de Cas. 743 eiusdem cant. 48, qui iambum esse propter 'modo' suspicatur, Aul. 135 fortasse recte Wedding 11 creticos + clausulam statuit. Trin. 250 autem (A. P.): 'nox datúr: ducitur familia tota' fortasse syllaba anceps in altera arsi tertii pedis cretici tetrametri (id est primi pedis post caesuram) admissa est.

1) nisi fortasse Curc. 461 'sequimini. Leno, cáve in te sit mora mihi' hiatus est post verbum iambicum 'cave', item Maurenbrecher 203; Asin. 762 'epistula' 'a' productum servasse ex lingua Graeca, quod fieri posse Hopkins (Harvard studies IX 97) existimat, verisimile nullo modo est, immo fortasse cum Leone 'ne epistulă quĭdem ulla sit in aedibus' legendum est hiatu inter 'quidem' et 'ulla' admisso, item Maurenbrecher 203. Bacch. 894 Bergk Leo alii nomen 'Latonae' tolerandum non esse putant, quia sola peregrina inter deos deasque Romanos extat.

Men. 762 'quidnam hoc sit negoti quod filia sic' Leo dimetrum bacchiacum + colon Reizianum legit. Quae si ita sunt, fortasse statuendum est Plautum colo Reiziano cum baccheis coniuncto easdem licentias admisisse atque baccheis, sicut alteram thesin coli cum baccheis coniuncti solutam eadem ratione atque in anapaestis in duo verba dispertiri vetuit. (cf. Leonem cant. 59.) Quam argumentationem plane incertam esse libenter concedo.

Sed 'a' nominativi singularis nominum propriorum Graecorum longam fuisse multi viri docti contenderunt [1]), quibus Wedding (pag. 19) obloquitur, iure, ut opinor, quia exempla allata ad rem comprobandam non sufficiunt. Nam extat in quarta arsi:

Amph. 438 'Quis ego sum saltem, si non sum Sosiá? te interrogo.' Qui putat post diaeresin trochaici septenarii Plautum eisdem licentiis usum esse atque initio versus, 'Sósia ted interrogo' dimetiri potest. 439 quidem, ubi 'ubi ego Sosia nolim esse .....' extat 'a' nominis 'Sosia' productum, mea quidem sententia mutari opus est [2]).

Plane eis, quae Wedding (pag. 20) de vocativo singulari nominum propiorum Graecorum dicit, assentior. cf. Lindsay quoque Capt intr. pag. 18 § 5.

Eodem modo quo de 'a' nom. sg. primae declinationis, de a nom. et acc. pl. neutrius secundae declinationis iudicandum est, neque desunt exempla, quae a productum praebeant.

Asin. 199 'Ceterá quae volumus uti Graeca mercamur fide' in secunda arsi.

In quarta arsi apparent:

Pseud. 563 (A. P.) 'Me idcirco haec tanta facinora promittere'.

Men. 900 'quae me clam ratus sum facere, ea omniá fecit palam', ad quem versum iam Vahlenus (Hermes 17, 606) monet, ne transpositis vocabulis brevis syllaba removeatur.

Mil. 1314 'Quid vis? Quin tu iubes eferri ómniá quae isti

1) velut nunc Hopkins l. c., Lindsay lat. gramm. 427 — sed cf. eiusdem Capt. intr. 18 § 5 —, Sommer 352, Maurenbrecher 203.

2) Maur. exempla 'a' longi verborum Graecorum affert: Bacch. 893 'Minérva Latona Spes etc.', quasi 'Latona' nomen Graecum sit, nam arbitraria sunt, quae Jordan (krit. beitr. 23 squ.) suspicatur, et Mil 1065 'habet Aetna non aeque altos' e versu corrupto! trad. 'Aetna mons non aeque altos'.

dedi', in eadem verba Mil. 1338 desinit (ad quos versus cf. Skutsch. Phil. 59, 483 et supra [1])).

Restat unus versus ex diverbiis Rud. 1086 'Et crepundia. Quid si éa sunt etc.', qui 'a' productum praebet ante personam mutatam, ubi Leo Rud. 1363 et Cist. 709 collatis (item Cist. 656) 'cum crepundiis' commendat.

Ex canticis Men. 974 'verbera compedes'. dubium mihi est, num dimetrum bacchiacum catalecticum dimetiri propter accentum verbi 'verbera' in altera syllaba collocatum Leoni licuerit. Repugnat enim, ni fallor, talis accentus vel metri bacchiaci primo pedi neque praeter Cist. 686 [2]) alterum exemplum extat. Praeterea Pers. 761 extat in anapaestis: '..... factā sunt quae volui effieri', quem versum C. F. W. Muellerus correxit [3]).

Si quis contendat in omnibus his exemplis antiquam syllabam longam certis versus locis servatam esse, certis causis refutari non potest, quamquam vocalem productam metro deberi apud Plautum, qui lingua vitae usus formis obsoletis versus suos ornare non studet, multo verisimilius esse arbitror. Sed quid de exemplis, de quibus nunc disseram, statuendum sit, scil. utrum vocalis metro producta an quantitas antiqua servata sit, omnino decerni non posse arbitror.

Verborum enim, quorum praesens in 'io' desinit, pars secundum tertiam, pars secundum quartam declinationem flectitur. Berneker (J. F. VIII 197 squ.) verba, quorum radix longam vocalem praebet, omnia quartae, ea, quorum radix praebet brevem vocalem, pleráque tertiae, nonnulla quartae esse ostendit. Sed non mihi placet ratio, qua vir doctus hanc differentiam explicare conatus est, immo cum Skutschio (Wölfll. arch. 12, 210 squ.) et Sommero (lat. gr, 551 squ.) facio, qui in ipsa lingua Latina lege de correptione ver-

1) Pseud. 1259 'nam úbi amans complexast amantem, úbi ad labrá labella adiungit' in octonario trochaico eodem loco, quo septenarius habet syllabam ancipitem.

2) 'nulla est, neque ego sum úsquam. perdíta perdidit me' in initio quidem alterius dimidii, a Spengelio reformv. 213 in 'periit, perdidit me' mutatum.

3) De Poen. 253 certum indicium proferre non audeo. Fieri potest, ut in priore arsi pedis secundi versus bacchiaci extet syllaba anceps, ergo 'sunt hic omniá quae ad deúm pacem oportet', sed metrum versuum 253 et 254 plane incertum est.

borum iambicorum constituta vocalem origine longam exitus secundae et tertiae personae sg. praes. et secundae pers. sg. imper. breviatam [1]), tum ex iis formis brevem vocalem secundum analogiam verborum thematicorum, quae dicuntur, in ceteras formas horum verborum translatam esse, postremo in deponentia, ex quibus formis lege linguae brevem vocalem nulla in loco longi 'i' ponere potuit, irrepsisse censent. Re vera enim in lingua Latina nonnulla verba, quorum radix brevem vocalem habet, quae postea secundum tertiam flectuntur, formas secundum quartam ostendunt (cf. cupīre etc. Neue III [3] 242 sqq.), ante cetera autem formae deponentium et passivae longam vocalem praebent [2]). Apud Plautum numquam nisi apud deponentia et passiva formae inveniuntur, quae contra usum posterioris aetatis secundum quartam coniugationem flectuntur excepto uno a Philargyrio ad Verg. ecl. 2, 63 allato 'parire' e Vidularia. (cf. Langen l. c.). Nusquam autem formae iambicae extant praeter:

in quarta arsi Men. 921 'potionis aliquid prius quam percipit insania'?

Curc. 364 Laudo. Laudato quando illud quod cupis effecero [3]).

Persa 398 'vel tu me vende vel facé quid tibi lubet' (A. P.), in baccheis Amph. 555 'facís, út tuís nulla apud te fides sit' [4]).

1) ex capīs: capis, ex capī: capĭ, id est capĕ, de qua forma falso Sommer l. c.

2) de Plauti usu cf. Langen symbola 82 squ. brevem vocalem contra usum praebet fortasse verbum' experiri' Cist. 221 'maritúmis moribus mecum éxperitúr' in anapaestis, quod pro tradito 'expeditur' scribatur necesse est; nihil enim est 'ĕxperītur'. 'cupitus' brevi 'i' pronuntiatus contra usitatum 'cupītus' (cupīvi) secundum analogiam denominativorum verborum formatum fortasse Merc. 841: 'ibi quidem si regnum detur, non est cupita civitas, ('est cupita' C. D., 'est cupida' B), Weisius in 'cupīta est' transposuit.

3) Kampmannus l. c. p. 7 ad hunc versum adnotat: 'cupis' pro iusto trochaeo haberi, ut sit verbum quartae coniugationis (cf. Struve lat. decl. etc. 201, utque voluerunt Grut. et Both.), vetat alius Plauti locus Asin. 1, 1, 70 . . .'

4) plane incertus versus bacchiacus Truc. 555 'domíst qui facít improbá facta amator' duabus syllabis ancipitibus instructus.

Decernere ego quidem non audeo, utrum syllaba metro producta an 'ī' origine longum servatum sit [1]).

Liceat mihi de etymologia unius ex verbis a Berneker (l. l.) allatis usque ad hoc tempus, nisi fallor, non explicati pauca disserere. verbum 'sarīre', quod quamquam radix brevem vocalem praebet [2]), semper secundum quartam declinationem flectitur [3]), significat 'den boden zerkleinern, lockern, mit der hacke bearbeiten' = σκαλεύειν, velut Colum. II 11, 9 'nihil amplius in iteratione sariendi quam remolliri terra debet aequaliter'; 'sariri terra dicitur rastris ligneis vel ferreis quadridentibus aut sarculis': (cf. Mart. 3, 93, 20 'sarire quis velit saxum'?) ita Schneider ad Varr. r. r. 2, 11, sed significatio iam non semper plane diversa est verborum 'sario, sartor, sarculum' ab 'occare' etc., cf. Colum. 2, 11, 9; Varro r. r. I. 29 'nonnulli postea, qui segetes non tam latas habent, ut in Apulia et id genus praediis, per sartores occare solent, si quae in porcis relictae grandiores sunt glebae' (cf. Plin. nat hist. 18, 118), cum apud Plautum in Captivis 661 squ. 'sartorem' et 'occatorem', industriam 'occandi' et 'sariendi' discerni notum sit. Nostri rustici postquam agrum occaverunt, ubi, praesertim cum aestate sicca humus arida sit, ager non satis mollitus est, glebas relictas aut sarculo findunt aut rastro quasi malleo contundunt, id est postquam occaverunt, sarculo aut rastro sariunt ('nam semper occant prius quam sariunt rustici' Capt. 663). Verbo latino autem 'sario', quod descendit a radice sar [4]), in lingua Graeca respondet αἶρα 'hammer', quod semel in fragmentis Callimacheis traditum est (frgm. 129, cf. Schneider Callim. II 398); apud Hesychium extat αἶρα· σφῦρα. ἀξίνη (item Bekker anecd. 359, 19 [5])). Primitiva no-

1) Si antiquum longum 'ī' his locis extare arbitreris, necesse est, Pers. 398 'facī' pro 'face' scribi.

2) 'sarrire' est falsa scriptura codicum. cf. Capt. 663; Ritschl proll. ad Trin. 162, Fleck. jb. 60, 362; 97, 212 etc.

3) sed cf. 'sari' laxari C. Gl. E. IV, 166, 45 et 564, 27 (ubi traditur 'sari laxare').

4) natum ex sar-i̯ō aut ex sr̥r-i̯ō (cf. Brugmann kurze vgl. gramm. 135.), quia praesentia in -io desinentia et 'hochstufe' et 'tiefstufe', quae dicuntur, radicis ostendunt.

5) de sario et σαίρω, quod antea viri docti comparare consueverunt, cf. Vaniček etymol. wtb. der lat. sprache 300, item Berneker l. l., nunc loqui opus non est.

tio radicis fuit 'tundere', unde significatio mallei et instrumenti, quo rustici pro malleo ad glebas comminuendas utebantur, descendit. Eadem ratione in lexico Pollucis 10, 29 σφῦρα appellatur βωλοκόπος, scholia ad Arist. Pacem 565 transscribunt σφύρας, αἷς βωλοκοποῦσιν, idem instrumentum agriculturae commemoratur apud Hesiodum op. 425 (cf. Hes. σφύρωσις· διάρωσις), ut σφῦρα easdem ambas significationes ostendat in lingua Graeca, quarum unam radix sar- ostendit in lingua Graeca, alteram in lingua Latina[1]). Saepe in linguis Indogermanicis ab eadem radice significatio 'sarculi' (ligonis) et 'securis, asciae' derivata est: cf. Schrader, realencyclopädie der idg sprachen sub 'axt, ackerbau, egge, hacke, hammer, schaufel'; velut ahd. 'houwan', anord. 'hǫggua' (nhd. 'hauen'), lit. káuti 'schlagen, schmieden, kämpfen', aksl. 'kovati 'schmieden', lat. 'cūdo' inxta engl. 'hoe' = nhd. 'hacke', 'hew' 'hacken', aksl. mot-yka 'hacke', ai. matyam 'egge, walze' et lat. mateola 'werkzeug zum einschlagen in die erde', μάχελλα ex σμά-κελια ad radicem kel 'schlagen' (Prellwitz etym. wt.), cf. Sommer I. F. 11, 265 f. de radice indogerm. mad 'hauen, schneiden, teilen'. Spiritus lenis autem, si recte traditus est, apud Callimachum debetur dialecto epicae aut ionicae, (de formis ionicis apud Call. cf. Schulze G. G. A. 1897, 872 adn.), ut primaria forma sit αἶρα ex sarja aut $s_{\circ}^{r}$-ja nata.

Non est mirum, quod notio sariendi deflectitur ad notionem runcandi, velut Plin. nat. hist. 18, 241 dicit 'levi sarculo purgare verius quam fodere'; conferas quoque, qua ratione Xenophon in Oecon. 17, 12 d industriam σκαλεύειν determinat (cf. Schneider ad Colum. 2, 11, 2), velut in lingua Francogallica 'sarcler' significat 'gäten'. Eodem modo pertinent ad unam radicem lit. 'ráuju, ráuti' 'ausreissen', abulg. ryti 'graben'[2]), ai. 'ru' 'zerschlagen, zerschmettern'. Quare fieri potest, ut alban. hār, geg. hēr 'ausgäten, bäume oder weinstöcke ausschneiden', quod G. Meyer (wt. der albanes. sprache) cum ahd. sceran 'scheren, abschneiden' etc. confert., Buggius (B. B. 18, 167) iure cum lat. sarire comparet, ut radix 'sar' in linguis Indogermanicis ad significandum 'schlagen, hacken, gäten', quorum primariam notionem 'schlagen' esse puto, adhibita sit. Atqui cum in lingua Francogallica 'sarclure' 'das gegätete unkrant' a 'sarcler' 'jäten', in lingua germanica vetere jëtto 'unkraut, lolch' a 'jëtan, gëtan' descendat, non dubito conicere αἶρα 'lolch' (apud Hes. αἶρας· ἀγρίας βοτάνας) originem ab eadem radice 'sar' sumpsisse atque αἶρα 'hammer', atque primario significasse 'das gejätete', velut σφῦρα 'das aufgeworfene land' praebet notionem passivam iuxta activum verbum σφῦρα 'hammer'[1]). Spiritum lenem testantur Theophrastus hist. plant. 8, 4 (6): καθαρὸς δὲ ἐπιεικῶς καὶ ὁ Σικελὸς καὶ μάλιστα ὁ Ἀκραγαντῖνος οὐκ αἰρώδης etc. et Plut. συμπος. 658: 'οὐδ' αἶρας ἐμβαλεῖν εἰς τὴν ὑπόκαυσιν'; verbum in comoedia Attica extat apud Pherecratem (Meineke II[1] 345, 17) atque in fragmento aliquo comoediae Aristophanis 'Ὁλκάδες' (Meineke II[2] 1122, XV), sed utroque loco in anapaestis. Quare quia alio loco nusquam, nisi fallor, in pura oratione Attica verbum invenitur, nobis licet spiritum lenem initio positum simili modo explicare atque Solmsen (untersuchungen zur griech. laut- und verslehre 207 squ.) difficultatem, quam spiritus lenis verbi ὀπός ad lett. svekís swakas 'harz', lit. sakaĩ 'harz' etc. pertinentis praebet, auferre conatus est: αἶρα 'ist früh medicinischer terminus geworden (cf. ante ceteros quae Dioscorides περι ολης ιατρικ. βιβλ. B 122 exponit); mit der ausbreitung der ionischen heilkunde könnte auch die ionische Form des wortes, wenigstens im litterarischen gebrauch, aufnahme gefunden haben'. cf. Wilamowitz Her. II.[2] 101 ad vs. 398: 'in der attischen gelehrtensprache hat κύκλος das ältere ionische wort (scil. ἕλιξ) ersetzt: nur für die windungen der gedärme ist es erhalten (auch das ohrläppchen heisst ἕλιξ), weil die medicin vorwiegend ionisch blieb.' cf. ibd. pag. 180 de 'νώθης', quod vocabulum Ionicum a physicis Ionicis doctrina assumpsit. (cf. Kaibel stil und text der Ἀθ. πολ. de νωθρός pag. 42, et Solmsenium l. c. 23 sq.); nisi fortasse verbum αἶρα 'lolch' significans in dialecto Attica non erat et in

1) σφῦρα est idem atque lat. 'porca' secundum Pollucem 7, 145; modum agri significat C. J. G. I 1732 39 = C. J. G. sept. 61 in titulo Dauleo et C. J. G. Sept. 2415 22 in til. Theb., utrumque testimonium ex media Graeca. Hes. ὁμόσφυρος . . . . . ὁμόχωρον. σφύρα γὰρ τῆς σπορίμου γῆς τὸ μέτρον, qui modus aut velut γύης secundum instrumentum aut velut 'porca' apud Baeticos (cf. Col. V 1. 5) secundum terram adaggeratam appellatus est.

2) lat. rūta = 'effossa' in 'ruta caesa': Schulze quaest. ep. 318,

1) ambo verba ad eandem radicem pertinere dubitans opinatur Leo Meyer handbuch d. griech. et.

κοινή quae dicitur linguam e dialecto Ionica invasit. Ita quoque 'αἶρα' = 'hammer' spiritum lenem ab αἶρα 'lolch' accepisse potest.

Vestigia infinitivi activi praesentis in 'rē' ex sē <sei <sai, nati, cui in lingua vetere Indica infinitivus in 'sē' exiens respondeat, praeter infinitivum in rĕ <sĭ natum apud Plautum extare Solmsen J. F. IV 240 sqq. contendit littera 'e' horum exemplorum in traditis versibus scripta dipthongum in syllaba accentu non elata in ē, tum in ī mutatum reddi arbitratus. Syllabam longam autem huius infinitivi apud Plautum inventam metro attribuendam esse iam multi alii contenderunt, qui ante extremam dipodiam quoque syllabam ancipitem poetam admisisse existimaverunt, velut Lindsay lat. gramm. 617, Capt. introd. 42 (§ 34) Ahlberg de proceleusm. 127 (cf. Sommer lat. gr. 630 [1])). Testimonia syllabae longae haec inveniuntur:

Asin. 250 'atque argento comparando fingeré fallaciam'.

Merc. 934 'Stultus es, noli istuc quaeso diceré. Certum exsequist' cum personarum mutatione.

Mil. 848 'Numquam édepol vidi promeré. verum hoc erat' A. P.

Mil. 1316 'tibi salutem me iusserunt dicere. Salvae sient', persona mutata.

Pseud. 355 'ego scelestus nunc argentum promeré possum domo' A. P.

Pseud. 1003 'nullam salutem mitteré scriptam solet' A. P., sed in scaena interpolata (cf. Leonis adnot.)

Trin. 585 'Non certumst sine dote haud daré. Quin tu i modo' persona mutata est.

Truc. 425 'Non audes aliquid mihi dare munusculum'. (cf. Titin. 105 Ribb. Com. et Ter. Andr. 437.)

(Persa 642 pro 'nollē loqui' Camerarius scripsit 'nolle eloqui': cf. Langen symb. 191, Pseud 1042 'cuiam te esse vis' Camerarius correxit in 'cuiam esse té vis'.....).

In canticis inveniuntur:

Rud. 244 'Tú facis me quidem ut vivere nunc velim' (A. P.) in creticis.

1) exempla ad ē infinitivi comprobandum allata nihil probare contendit Skutschius Vollmöllers jb. II. 48.

In ithyphallicis: Epid. 170[a].

'ducerē te uxorem' (A; P. omisit 'te'.)

Pseud. 140 P. praebet: 'est eorum opus ut mavelís lúpos apŭd ŏvis linquere quam hos domi custodes', sed A 'éorum officium ut mavelis lupos apud oveis quam hos domi

linqueré custodes' (traditum 'domi' in secunda linea).

Cas. 702 praebet A 'ut núbát mi? illúd quĭdĕm dicere volebam, id est dimeter bacchiacus + ithyphallicus. 'dicere' omiserunt Priscianus et P., ut versus sit dimeter bacchiacus catalecticus + ithyphallicus: cf. Leonem cant. 16 sq.

Ithyphallici plerumque cum creticis coniuncti sunt. (cf. Leonem cant. 18 cum adn. 2). Qua re licentia syllabae ancipitis eos usos esse, quod in quarta parte opusculi mei aliis exemplis demonstrare studebo, censeo.

Bacch. 655 afferendum non est, ut hoc versu longa syllaba infinitivi confirmetur, Cas. 674 'illuc diceré vilicum volebam' (A. P.) praebet inter versum bacchiacum et ithyphallicum syllabam ancipitem.

Iterum certis causis decerni non potest, utrum hi versus longam vocalem exitus servaverint an metro producta sit 'ĕ' infinitivi, qui posteriore aetate solus in usu est. Concedendum enim est fortasse explicari posse, qua ratione acciderit, ut infinitivus in 'rē' desinens evanesceret. Nam postquam dipthongus 'ei' in syllabis accentu non elatis in — ī mutata est, plane adaequati sunt exitus huius infinitivi activi et infinitivi passivi, quem ab initio vocali 'ī' finitum esse verisimile est (cf. Thurneysen K. Z. 35, 210 squ., Sommer lat. gr. 631 squ.), ut in lingua, ne infinitivi mutarentur, infinitivus in 'rĕ' exiens pro genere activo solus usurparetur.

In lingua Latina declinationem stirpium in 'ī' exeuntium et stirpium consonanti finitarum valde permixtam esse constat. Sed num re vera Plauti temporibus 'locativus in 'ī' plus stirpium in consonam exeuntium occupaverit, quam aurea Latinitatis aetate' (Wedding 51), ut viri docti existimant, quaerendum est. Concedendum est nullum versum extare, in quo locativus 'ĕ' stirpium consonantium inveniatur, sed quibus locis versus manifestum fit Plautum dactylici verbi velut 'temperi' ultima syllaba brevi usum esse, cum verborum cuiusque generis ultima longa multis locis apparere

possit? Sane quin Plautus 'rurī' et 'lucī' adhibuerit, dubium non est. 'rurī' testantur Merc. 273 (A. P.) 'ruri qui vobis exhibet negotium', Cist. 226 'me hos dies sex rúri continuos[1])', 'lucī' Men. 1005 'luci deripier in via', ubi quidem forma 'deripier' confirmatur Plautum huic versui trochaico cantato formas non usitatas adhibuisse, in fine versus 'cum lucī simul', qua de locutione cf. Engelhardt stud. Ter. 24, Lindsay ad Capt. 1008, Merc. 255 et Stich. 364, sed 'ruri' non solum apud Plautum, sed usque ad Ciceronem praeter 'rure' in lingua Latina extat[2]), neque quicquam impedit, quominus 'lux' esse stirpem in 'i' exeuntem (cf. aksl. lŭcĭ) contendamus[3]). 'ruri' pro adverbio, contra cum adiectivo et pronomine coniunctum 'rure' in linguae usu extare constat Quare verisimile esse mihi videtur 'ruri' ī accepisse ab adverbiis velut ibī (ibeī), ubi, illi, fortasse praeterea analogia locativorum velut 'domi, belli' i translatum est in 'rure'.

Contra verbi 'temperi[4])' usus finibus antiquae linguae Latinae circumscriptus est. (cf. Neue III 649 sqq.) Apud Plautum longam syllabam exitus testantur hi versus:

Aul. 454 'Temperi, postquam implevisti fusti fissorum caput'.

Capt. 191 'numquid vis? Venias temperi. Memorem mones'. ante personam mutatam (fieri potest, ut 'temperī Mĕmorém' legatur.)

Cas. 412 'Temperi, postquam oppugnatum est os. Age, uxor, nunciam'.

Ep. 406 'edepol ne istam temperi gnato tuo', ergo bis in secunda, bis in quarta arsi i longum extat. Pers. 768 et Rud. 921 de quantitate primaria litterae 'i' verbi 'temperi' in anapaestis

1) rurī praeterea Cas. 781 in quarta arsi, Most. 799 in versu bacchiaco ante tertium pedem.

2) de 'ruri' et 'rure' in codicibus traditis apud Plautum cf. Langen symbola 308 sqq. Merc. 760 praebet A 'rurist'.

3) cf. gen. lux Varro Men. 67 et lucu, quam formam scholia Donati Ter. Ad. 841 testantur (cf. Solmsen stud. 198), velut gen. 'nox noctu nocte'; 'nocti' quamquam legitime derivatum de 'nocti-' nusquam certe traditum est. de 'luci' forma primaria cf. Kauerum quoque ad Ter. Ad. 841.

4) de scriptura cf. Ritschl. opusc. III 244 sqq., Lindsay ad Capt. 183, 836, Abraham stud. Plaut. 202.

iudicari non potest. Negari non potest 'i' adverbii 'temperi', quod a substantivo 'tempus' in lingua plane separatum esse 'e' in altera syllaba servatum ostendit, speciem antiquitatis prae se ferre (cf. Brugmann kurze vgl. gr. 447[1])). Sed eandem ob causam verisimile non est 'temperi' eodem modo atque 'faenori' e 'faenore', 'maiori' e 'maiore' e 'tempore' formatum esse (ita Lindsay lat. gr. 455.) Immo adverbium 'tempere' ab adverbiis velut 'peregri' (de quo verbo cf. Skutschium Fl. jb. suppl. 27, 98.), 'vesperi' 'ī' sumpsisse credo (fortasse secundum 'ruri' iuxta 'rure' iam antiquis temporibus ob aliquam causam formatum). Sed quacumque ratione de 'temperī' iudicaveris, 'ī' longum quarta arsis etc. tuetur, ergo aut obsolevit, aut, quod multo verisimilius est, temporibus Plautinis novatum est.

Si scriptura 'temperei' in A Pseud. 1182 tradita niti liceat, secundum 'peregri' ex 'peregrei' natum (cf. Skutsch. l. c.) et 'vesperi' ex 'vesperei' 'temperei' ortum esse confirmatur.

Etiam longa vocalis locativi 'vesperi' in quarta arsi extat Mil. 995:

'qui aucupet me quid agam, qui de vesperi vivat suo?' sed nimis raro substantivum apud Plautum invenitur, quam ut secundum hunc unum locum de quantitate 'i' vocalis iudicari possit. Varro ablativis 'vesperi' et 'vespere' utitur, praeter ablativum autem nullus casus secundum tertiam declinationem, dum lingua Latina viget, flectitur. Qua re 'vesperi' ex 'vesperei' natum esse locativum stirpis in o desinentis (cf. Lindsay lat. gramm. 455), 'vespere' secundum rurī: rurĕ etc. ad vesperi formatum esse arbitror. ('vespere' esse heteroclisiam posterioris aetatis Skutschium aliquo loco memini dicere).

'i' locativi 'Acherunti' longum fuisse Merc. 606 comprobarī dicitur secundum Weddingium. 'si neque hic neque Acherunti sum, ubi sum? Nusquam gentium'. Sed haec mensura falsa est, quia apud Plautum nusquam prima syllaba verbi 'Acheruns' loco brevis syllabae extat, cum Lucretius quidem 'Acheruns' ita dimetiatur, ut anapaestus sit (cf. Baierum in comment. phil. Hertz 295 sqq., Lindsay Harvard stud. IX, 126 sq.) [codices quidem praebent 'Acherunti'].

1) quod 'i' fieri non posse, quin longum sit, nemo est, qui nesciat.

'herī' aetate posteriore 'ī' et breve et longum praebet [1]), sed quaeritur, num iam Plautus longo ī usus sit. Extat 'herī' Amph. 799:

'ain herí nos advenisse huc? Aio, adveniensque ilico' (aut 'āin héri': sed cf. Leonem ad Amph. 284) in secunda arsi.

Most. 953 (A. P.) 'nam nisi hinc hodie emigravit aut heri, certo scio' in quarta arsi, contra Capt. 111 'heri quos emi de praeda a quaestoribus [2])' hiatus post 'praeda' legendus est, et Curc. 17 dimetiendus est 'caruitne febris ted héri vel nudiustertius [3])'. Quare aut i metro productum est aut secundum 'ube': 'ubei', 'quase': 'quasei' etc. novatum est ad 'here': 'herei', quod versus locus tuetur, ('herei': Sommer lat. gr. 164) neque ut 'i' adverbii 'herī' e stirpibus i vocali finitis translatum esse putemus, coacti sumus. (cf. Lindsay quoque ad Capt. 111.) At quidem 'Sicyoni' praebet 'ī' Cist. 156 'fuére Sicyoni iam diu Dionysia', A et P tradunt Cas 71, Poen. 1056 'Carthagini', Pseud. 995 'Sicyoni', sed nihil, nisi fallor, obstat, quominus a locativis nominum urbium, quae flectuntur secundum II. coniugationem velut Brundusii, in haec urbium nomina i translatum esse putemus [4]).

Difficile est mea quidem sententia de ablativis stirpium consonantium longa vocali finitis, quae apud Plautum extant, iudicare. Nam quamquam in titulis, velut in senatus cons. de Bacch., in inscriptione de luco prope Spoletum sito scripta etc. (testimonia

1) velut Ter. Eun. 169, cf. Lindsay lat. gr. 28, sed Quintiliani aetate in lingua 'here' fuit pyrrhichius Quint. I, 7, 22, cf. Lindsay ibd.

2) 'a' in locum 'de' inseruit Fleckeisen, Lindsay 'de' defendit.

3) scripturam 'here' testantur A. P. Mil. 59 (P. 'hercle') et P. [C. D. 'ere'], gloss. Plaut. Pers. 108; cf. Ritschl. opusc. II 254 sqq., Neue II.^{3} 644.

4) cf. Schoell praef. XXIV adn., Müller pros. 170. O. Brugmann 'quem ad modum in iamb. sen. etc.' scripsit 'Sicyoni hic'.

Pseud. 995, ubi Ritschelius in 'Sicyonī' mutavit, nulla mutatione opus est.

fieri posse ut in 'mane' suffixum ablativi stirpium in consonam desinentium in stirpem in i exeuntem translatum sit, Lindsay l. c. arbitratur, qui ipse in parenthesi adiungit 'falls dies kein adverbialer accusativ (scil. stirpis i finitae) ist.' id autem verum est. cf. Skutsch Fl. jb. suppl. 27, 95 et Pokrowskij K. Z. 35, 237. Nonius ad Amph. 253, Servius (ad Aen. 5, 19) ad Most. 767 scripturam 'mani' testantur, id est locativus stirpis in i exeuntis.

apud Schneiderum ind. pag. 156) ablativi stirpium consonantium in -id, quod ex stirpibus in i desinentibus insinuavit, exeuntes occurrunt, tamen neglegi non potest in exemplis Plautinis certum vestigium scripturae 'ī' non extare, immo omnibus locis exitum littera 'e' scriptum esse. Nam scripturam in B. Pseud. 616 traditam 'militite' (C. D. 'milite', A 'milite', fort. 'militi') satis esse ad veterem scripturam i imperitia scribarum sublatam confirmandam, ut arbitratur Skutsch forsch. I 12 adn. 2 (cf. Lindsay lat. gramm. 450), non puto. Sed ab altera parte nonnulla exempla extant, quibus impedimur, quominus cum Brugmanno (grdr. II 594) 'e' pro metrica productione vindicemus. Nam praeter versus, qui 'e' productum in secunda et quarta arsi ostendunt, quae sunt:

Asin. 873 'ille operé foris faciendo lassus noctu ⟨ad me⟩ advenit', Capt. 828: 'quŏ hŏminé adaeque etc.', ubi hiatus accedit. Cas. 140 (A. P.) 'quasi mus in medio parieté versabere'. (cf. Kampmannum l. l. pag. 4.)

Capt. 914 'Adveniens deturbavit totum cum carne carnarium' (A. P.) in sexta arsi iambici octonarii, ergo ante ultimam dipodiam, Pers. 41 'quod tu me rogas; nam tú aquam a pumicé nunc postulas.' Pseud. 616 'esne tu an non es ab illo milite Macedonio?' (Cist. 63 'pectorĕ pĕnitissimo' dimetiri potest.)

Rud. 911 'piscatu novo me uberi [1]) compotivit' (i est longum in priore arsi pedis tertii tetram. bacch.) relinquuntur hi:

Amph. 542 'Numquid vis? Ut quom absim me ames, me tuam te absenté tamen'. traditum est 'absentem', quod 'absentei' esse Leo contendit.

Amph. 826 'Amphitruo alius, qui forte ted hinc absenti tamen'.

Mil. 1341 'bene quaeso inter vos dicatis et med absenti tamen' (Leo 'mi med absenti tamen'), quibus de versibus cf. Vahlen, Hermes 17, 599 sq. Sed formas participii, vel absolute usurpati, ad longam syllabam substantivorum comprobandam fortasse non sufficere contendas, quia posteriore aetate participia pro adiectivis usurpata i longum praebent, cum nullum vestigium mensurae velut 'parieti' restet; extant in quarta quidem arsi: Capt. 258 'praesenti pecunia', Capt. 814 'crucianti cantherio', quo utroque loco i

1) scriptura 'uberī' extat, quia postea adiectivi ablativus in ī exiit.

scriptum est in libris. Eodem modo de adiectivo 'uberī' Rud. 911 iudicari potest, ut iam temporibus Plautinis ī stirpium in i desinentium in adiectivorum ablativum translatum sit. Accedunt autem:

Amph. 860 'quidquid est, iam ex Naucraté cognato id cognoscam meo'.

Cas. 318 'cum eadem qua tu semper.' Cum uxoré mea?'

Psend. 761 'omnes ordine sub signis ducam legiones meas', ubi omnes codices 'ordines' praebent, quod Scaliger correxit, C. F. W. Müller (Rh. mus. 54, 530 sq.) 'ordine his' coniecit, dubito num recte.

Bacch. 628 'múlta mála mi in pectore nunc acria atque acerba eveniunt', neque confidenter quattuor versus corruptos esse contendemus. Qua re de his ablativis indicium retineo, sed si formas recte traditas esse agnoscas, 'e' in 'i' mutandum esse persuasum habeo. Facere autem non possum, quin unum exemplum afferam, ubi in P ablativus 'ē' vocali finitus postea insertus est, cum A antiquam et rectam lectionem servaverit: Stich. 72 praebet P 'gratiam á patré si petimus', A autem 'gratiam per si petimús, spero ...' (cf. quae de praepositione postposita Leo exposuit N. G. G. 1895, 418 [1]).

Maurenbrecher pag. 129 sqq. de hiatu, quem post ablativum in 'o' exeuntem apud Plautum codices tradunt, disserens veterem exitum ablativi stirpium in 'o' desinentium 'd', quem tituli testantur, usque ad finem tertii saeculi (in secundo saeculo unus titulus, qui continet senatus consultum de Bacch., ablativos consona d finitos praebet. cf. eundem 110 sqq.), iam circa 200 ante Chr. n. evanuisse neque in Plautinis fabulis hiatum, id quod contendunt viri docti (cf. eundem 107 sq.), effecisse censet, quocum consentit Lindsay (lat. gr. 449, Capt. pag. 17). Ac profecto, ut exempla hiatus in thesi traditi omittam, — de quo eodem modo atque de hiatu in arsi invento iudicandum non esse puto — minimus est numerus exemplorum, quae post ablativum littera 'o' finitum hiatum in arsi ostendant, quorum pars in secunda et quarta arsi extat, ut, si recte

1) Epid. 533 Leo cant. 51 glyconaeos dimetitur: 'pectorē peregre adveniens', ubi mensura 'pectorē pĕregre adveniens' aequam rationem versuum, qui 533 circumdant, deturbat; ipse rem diiudicare nequeo.

hiatum his locis versus poetam admisisse exposui, haec exempla idonea non esse, quae 'd' ablativi in fabulis Plautinis in arsi aliquo modo adhuc vim habuisse comprobent, concedas. Exempla haec sunt:

Rud. 1069 'Quo modó habeas id refert, iurene anne iniuria' (nullum discrimen esse, utrum hiatus in arsi inventus ante thesin monosyllabam an ante thesin bisyllabam extet, iam supra dixi.)

Most. 396 'Potin animó ut sis quieto et facias quod iubeo? Potest' (cf. Leonis adnot.) Merc. 607 'Disperii, illaec me interemit me modó oratio' (A. P. [1])).

Pers. 835 'At tamen non — tamen — Cave ergo sis maló, et sequere me'.

Poen. 497 'Certum. Tum tu igitur die bono Aphrodisiis.'

Qua ratione ex exemplis a Maurenbrechero allatis relinquuntur:

Amph. 193, Merc. 887, qui mutilatus et falso loco traditus nihil probat, Most. 1144, ubi hiatus post imperativum tertiae personae singularis, pristinis temporibus in 'tod' desinentem a nonnullis statuitur, fieri potest, ut 'máximé, accípito hanc ad te litem ...' legatur, nisi cum Ritschelio 'tute' post 'hanc' inserere mavis; spatium eodem fere loco in versu sequenti relictum est. Stich. 255, Colacis frgm. 2 omissis eis exemplis, quae hiatum ante personam mutatam habent (velut Merc. 183, secundum Maur. duodecim extant), quae ad hiatum in arsi collocatum confirmandum satis non sunt.

Testimonia hiatus post 'ā' ablativi primae declinationis inventi omnia locis versus a me tractatis extant.

Amph. 545 'prius tua opinione híc adero: bonum ánimum habe'.

Most. 259 'Una operá ebur átramento candefacere postules'.

Trin. 540 'sues moriuntur ángina acerrume' (A. P.).

Pseud. 317 'aut terrá aut mări ăliconde evolvam id argentum tibi' (A. P.), quem versum ita legi, ut hiatus traditus sit post 'mari', necesse non est. Quem si versum deducas, unus versus restat Rud. 1307, qui hiatum post 'ī' ablativi stirpium, quae in

1) nisi fortasse 'modo' est instrumentalis, quod quidem vocali in usu linguae breviata non comprobatur (cf. Sommerum lat. gr. 376). Qua de re non prius decerni posse, quam in titulis antiquissimis haec forma inveniatur, constat.

'ī' cadunt, praebet. ('in mari elavi': 'elavi' pro 'et alii' correxit Pius). Hiatum post ablativum sg. stirpium in 'u' desinentium praebet Capt. 476 'quam in tribú aperto capite sontes condemnant reos' [1]).

Eodem modo atque 'med', ted', apud Plautum 'rēd' servatum esse Lindsay (Wöllfl. arch. 10, 550) suspicatus est (cf. Capt. intr. pag. 17), contra quem Maurenbrecher (256) disputat [2]), qui pag. 128 're' hiatum efficere potuisse ratus 159 hiatum ablativi 'rē' 'durch die existenz einer doppelzeitigen länge', quae 'doppelzeitige' longa syllaba contractione nata usque ad Plautum servata sit, explicat! (sic!) Sed Aul. 141 'rē' in quarta arsi 'nec tibi advorsari certum est de istac re umquam, soror', Merc. 629 in secunda arsi extat: 'De istac ré argutus es, ut par pari respondeas'. Itaque solus Pseud. 19 (A. P.) restat: 'iuvabo aut ré aut opera aut consilio bono', ubi fieri potest, ut hiatus post 'iuvabo' traditus sit [3]).

Usque ad hunc locum ea testimonia syllabae ancipitis in secunda et quarta arsi traditae attuli, quae thesis monosyllaba sequebatur, ut si recte versus traditos esse agnoscas, fieri non potuerit, quin syllabam ancipitem in antecedenti arsi legeremus. Sed fortasse, ubi thesis sequitur dissoluta brevem syllabam in arsi secunda aut quarta collocatam, praeferas, non, qua ratione nunc syllabae distribuuntur, scil. ita, ut arsis ultima syllaba verbi antecedentis et prima syllaba verbi sequentis efficiatur, legi, sed ita, ut brevem syllabam verbi antecedentis his versus locis pro longa adhibitam esse statuas, qua ratione, si hiatus extat, legi necesse est. Velut si versus exit in vocabulum pyrrhichiacum (aut in vocabulum pyrrhichio finitum) et anapaesticum et iambicum (exempla apud Luchsium Stud. stud. I 17), non dissoluta quarta arsi excusari duos iambos, qui versum claudunt, quem exitum nusquam nisi certis condicionibus admissum esse ipse Luch-

1) Item post 'intro' secundum exempla a Maur. 210 collecta hiatus in arsi extat Merc. 801: 'iubeas, si sapias, haec intró auferrier', in quarta arsi, post 'adeo' in secunda arsi Merc. 1024 'haec adeó ut ex hac nocte primum lex teneat senes'; verisimile est exitum -'ōd' fuisse. cf. Lindsay lat. gr. 653.

2) cf. eundem 128 adn. 1 et Wedding 41.

3) Num d ablativi verbi 'res' Pacuv. 137 (R. Trag.) aliquam vim in thesi retinuerit, iterum non decerno.

sius Stud. stud. I 13 sqq. (cf. Klotz 232 sqq) comprobavit, sed syllabam alteram vocabuli pyrrhichiaci pro longa usurpatam esse, ut vocabulo anapaestico et iambico versus finiretur. Quod fieri posse negari non licet. Sed quia constat omnes arses apud Plautum nisi paenultimam ita dissolvi posse in duas breves syllabas, ut ultima verbi antecedentis et prima verbi sequentis efficiantur (cf. Klotz 257 sqq. [1])), decerni non potest, utra ratione secundam et quartam arsin legi necesse sit.

Dubium non est, quin Plautus hoc modo verba dactylica accentu extulerit, id quod prioribus temporibus multi viri docti negaverunt. Sed verba dactylica pro creticis poetam usurpare potuisse, ut Leo sub textu multis locis, Plaut. forsch. 309 adn. 4, Maurenbrecher 214 contendunt, usque ad hoc tempus nec comprobatum est nec comprobari posse puto. Quamquam enim aliis locis versus nonnulla vel pauca exempla huius mensurae extant, velut Amph. 439:

'Ubi ego Sosia nolim esse, tu esto sane Sosia', longe pleraque, si syllaba ultima verbi dactylici in versu longa est, ita collocata sunt, ut in secunda aut quarta arsi ultima syllaba inveniatur, velut in Menaechmis, qua in fabula praesertim dactylica pro creticis usurpantur, praeter exempla in secunda et quarta arsi posita unum esse potest in colo lyrico 762 'quod filia sic', sed nimis incertum est, num re vera ita dimetiri haec verba nobis opus sit. Sane Plautus secundum naturam versus plerumque verba dactylica et proceleusmatica, nisi in fine versus collocavit aut verba in vocalem desinentia ita, ut ante sequentem vocalem vocalis elideretur, ita posuit, ut ultima syllaba in secundam aut quartam arsin caderet [2]), sed satis exemplorum praesertim in septenario trochaico extant, ubi saepe transitum secundi pedis ad tertium efficiunt.

1) quod de omnibus generibus verborum valet neque excipiuntur verba dactylica [de verbis dactylicis cf. Niemeyer ad Mil. Glor. 27] aut tribracchia, quamquam haec plerumque in secunda et quarta arsi hoc modo cum verbo sequenti coniunguntur; cf. in medio versu: 'dicerĕ sĕnex Rud. 1119, Aul. 764 'edepŏl ego, Rud. 1219 'Et tua filiă făcito oret', Ep. 334 'aliquĭd ăliquo modo', Merc. 912 'puerĕ căpe' (de proceleusmaticis hoc modo formatis vide Ahlberg 'de procel.' 32 sqq.) etc.

2) velut in Curc. Ep. Men. in uno versu alio loco senarii verbum dactylicum invenitur: Curc. 393.

Ab altera parte mirum non est, quod inter testimonia ad comprobandam metricam productionem in secunda et quarta arsi admissam allata permulta extant verba dactylica (aut proceleusmatica), sed de versibus velut Men. 877, Mil. 481, Pers. 399, multis aliis eodem modo iudicandum esse atque de verbis dactylicis his locis versus ultima producta inventis pro certo habeo. Quod autem attinet ad rationem grammaticam, verba dactylica accentum leviorem praeter accentum in antepaenultima positum in lingua habuisse dicuntur, qui sub ictu ultimum produxisset. repugnant autem verba dactylica in '-us' desinentia velut 'prosper' ex prosperos, 'liber' ex liberos (gr. ἐλεύθερος), 'vesper' ex vesperos nata, ubi, si aliquo modo accentu ultima syllaba elata fuisset, vocalem ultimae servatam esse necesse esset [1]). Neque argumentum est, quod duas ultimas syllabas verbi dactylici thesin explere non licet, neque enim dubium est, quin hanc legem metricam is, qui versus Latini leges praescripsit, ex versibus Graecis assumpserit (cf. W. Meyer 'die beobachtung des wortaccents' etc. 29). Quare, quibus locis extra locos versus a me tractatos verba dactylica mensura cretica utuntur, eos emendandos esse censeo [2]). De versu Saturnino autem (cf. Leonem forsch. 309) iudicium retineo.

Sed quo modo factum est, ut Plautus his locis versus hiatum et syllabam ancipitem admitteret, id est, ut quodam genere diaeresis uteretur? Poetas scaenicos Latinos, qui trimetrum iambicum Graecum secundum linguae Latinae naturam transformaverunt, hunc trimetrum in tres dipodias divisum fuisse cognovisse eosque vestigium divisionis Graecae servasse — scil. quia alterum pedem dipodiae praeter primum septenarii trochaici verbo spondiaco aut anapaestico aut verbo in spondeum aut anapaestum desinenti finiri vetuerunt — cum alii tum W. Meyer (l. l. 36 sqq.) de-

1) cf. Sommer J. F. 11, 44 sq. nam etiamsi Sommero non contigit, ut leges suas de syncope constitutas comprobaret — cf. Solmsen I. A. 15, 227 — tamen certe concedendum est non eadem ratione 'ager, agros' et 'prosper, prosperos' nata esse, propterea quod haec verba 'e' in omnibus casibus ostendunt. Quare in 'prosperos, prosperi', etc. non e elisum est, sed o syllabae finalis.

2) Asin. 372 'mox cum Lauream imitabor, caveto ne suscenseas'. alteram offensionem dat mensura 'cavĕto', quae versu Capt. 431 non excusatur.

monstravit. Fortasse licentiae quoque secundae et quartae arsis ita explicandae sunt, ut is, qui versum Latinum constituit, in fine dipodiae hiatum et syllabam ancipitem admitteret. Compositus enim est senarius ex tribus dipodiis, ex quattuor versus septenarius. Ex quibus finis primae dipodiae senarii, septenarii alterius dipodiae, cur eisdem licentiis, quibus ceterarum ultima syllaba, usus non sit, explicari potest: in senario post thesin pedis tertii fit plerumque caesura, in septenario post thesin thesi senarii respondentem diaeresis, quae ipsa hiatum admittit, quam ob rem poetae diaeresin paulo ante usurpare fugerunt [1]). Neque opus est, ut hiatum et syllabam ancipitem secundae arsi trochaici septenarii adhibitam explicemus, ad doctrinam de metris derivatis constitutam, quam inter Romanos primus Varro docuit, nos refugium capere, secundum quam septenarius trochaicus ex cretico et senario compositus esset. (cf. Leonem cantica 61). Est tamen, ut hoc verbo uti mihi liceat, 'quasi diaeresis', quae his locis deprenditur, quam Plautus ex arbitrio versui adhibere potuit. Neque enim ei vetitum erat, quod fit, si diaeresis legitima, ut ita dicam, post pedem iambicum extat, ubi ei placuit, quartam aut secundam arsin duabus syllabis brevibus efficere, id est arsin dissolvere.

In fine huius partis de versu aliquo disseram, quem sanare me posse syllaba ancipiti quartae arsi adhibita confido. Ep. 493 in A. P. traditum est:

'Euge, euge, Epidice, frugi es, pugnasti, homo es'.

Camerarius, ut hiatum tolleret, 'pugnavisti' scripsit, quem secuti sunt Goetz et Leo, sed necesse esse caveamus, ne formas breviores et longiores verborum (id est ῥημάτων), quorum stirps in vocalem exit, contra librorum testimonium inseramus, Engelbrecht (Wien. Stud. II, 223 sqq.) docet. Alii viri docti verbo aliquo addito velut 'bene' versum corrigere conati sunt, quod opus non esse e versu Terenti Ad. 843 a Leone ad locum allato elucet. Sed etiam alteram offensionem praebet versus. Bentley (ad Heaut. II. 3. 30) et Ritschl (proll. CCXVII) animadverterunt verborum proceleusmaticorum et verborum paeonem quartum efficientium syllabam primam plerisque locis ictu efferi apud scaenicos

1) Fine dipodiae hiatum et syllabam ancipitem interdum admissum esse iam Kampmannus l. c. contendit.

poetas Latinos, qua ex re ea verba illis temporibus in lingua accentu in prima syllaba collocato instructa fuisse concluserunt [1]). Quam consuetudinem vestigium pristini accentus in prima syllaba cuiusque verbi positi putari opus non esse accentus linguae Sanscriticae nostra aetate usitatus ostendit, qui eodem modo atque accentus linguae Latinae insignitus vocis intentione, si paenultima et antepaenultima brevis est, accentu primam syllabam verborum quadrisyllaborum effert. (Wackernagel ai. gramm. 296). vehementissimis verbis oblocutus est H. Pedersen K. Z. 38, 336 sq., sed non ita, ut mihi persuaserit. Nam poetas scaenicos Latinos discrepantiam inter ictum versus et inter accentum linguae fugere studuisse, quoad fieri potuit, comprobatur eo, quod verba dactylica et proceleusmatica ictu alteram syllabam (scil. tertiam) efferre vetuerunt nisi in primo pede versuum iambicorum, scil. in primo pede alterius coli septenarii iambici, in anapaestis [2]). In metro autem ab alio populo assumpto atque alii linguae apto, quod ut propriae linguae adaptarent, maximam operam dederunt, eam discrepantiam evitare difficillimum fuisse omnibus perspicuum est. Quare fortasse non plane consensum inter ictum et accentum assequebantur, quamquam ego quoque a partibus Skutschi sto, qui nos eo venturos esse, ut omnes discrepantias explicemus, sperat. Profectó quod raro poetae ictum in secunda syllaba horum verborum posuerunt, quamquam vocabulum hoc modo accentu elatum multis versus locis adhibere potuerunt, confirmatur in lingua vocabula accentu in prima syllaba posito instructa fuisse. Ex exemplis autem, quae ictum in secunda syllaba praebent [3]), eximenda sunt ea, quae in primo pede versuum iambicorum aut secundi coli septenarii iambici inveniuntur — ubi eodem modo atque, 'muliérem' 'mulíerem' contra linguae usum poeta admisit — ea, in quibus substantivum dependet de praepositione velut Capt. 1023 (scil. aut 1022) 'in memóriam', Epid. 490 'pro fidícina' Pseud. 705 b 'per malítiam, etc.:

1) cf. Langen Phil. 31, 115 sqq., Lindsay Phil. 51, 364 sqq., Vendryes recherches sur l'histoire etc. de l' intensité initiale en Latin 146 sqq.

2) quam rem ut alio modo explicaret, W. Meyero (l. l. 38) non contigit.

3) vide Lindsay l. l., contra quem certat Seyffertus Burs. jb. 80, 270 ff., cf. Skutschium Vollmöllers jb. II, 58, qui cum Seyfferto consentit.

item Hauler Phorm. Einl. pag. 54 adn. 5 [1]); fortasse etiam ea, in quibus adiectivum et substantivum quasi in unum verbum coalescunt. sed nihil haec valent ad excusanda exempla velut 'memineris' etc., quia nusquam praeter accentum quadrisyllaborum ῥημάτων in altera syllaba positum effertur syllaba contra ictum secundum 'Dreisilbengesetz' necessarium [2]).

De versu Epidici Lindsay (l. l.) dubitat, an recte traditus sit. Tricies ter nomen proprium 'Epidicus', extat, quibus locis praeter Ep. 27, ubi ictus in syllaba altera positus initio iambici dimetri recte se habet, semper ictus in prima syllaba invenitur. Quare non dubito, quin poeta hoc loco alteram syllabam ictu non extulerit. Quae ambae offensiones verbis ita transpositis amoventur:

1) cf. Skutschium forsch. 157 de praepositione et substantivo sub uno accentu pronuntiatis, cf. praeterea 'propter amórem' etc.

2) Num fortasse in vetere Latinitate praepositio et ῥῆμα coniuncta accentu et praepositionem et ῥῆματος primam syllabam effere potuerint, item num eadem accentus mutatio valeat de syllaba reduplicativa et verbo coniunctis, nisi fallor, decerni non potest, quia, ubi vocalis primae syllabae ῥήματος debilitata non est, omnibus locis factum esse potest, ut vocalis primaria restitueretur, quamquam memorabile est, nonnullorum ῥημάτων omnia composita velut ῥήματος 'peto', 'voco', 'sequor' etc. semper vocalem simplicis ῥήματος ostendere. Unum quidem compositum extat, iam ex lingua Indogermanica hereditate acceptum: inseque = ἔννεπε, quod vocalem non debilitatam ostendit, quamquam simplex non servatum erat, nisi forte ante 'qu' omnino vocalis breviata non est. Praepositionem et ῥῆμα in unum verbum in lingua Latina vetere non plane coaluisse constat: fieri potuit, ut aliis verbis seiungerentur. cf. Plaut. Trin. 833, Stich. 17 et multa alia exempla aliorum veterum poetarum et scripturas legis Juliae municipalis C. J. L. I 206 velut 'ob venerit' etc.; reduplicationem et ῥῆμα non plane coniuncta sensa esse, reduplicationem ergo fere eandem esse atque praepositionem (in linguis Indogermanicis reduplicationi eandem vim fuisse atque priori parti compositi notum est: cf. velut Wackernagel dehnungsgesetz 18 sq., J. Schmidt K. Z. 32, 370, Brugmann kurze vgl. gr. 143), fortasse comprobat scriptura fibulae Praenestinae: C. J. L. XIV, 4123: vhe·vhaked. In lingua Latina vulgari accentus saepe vel contra legem, quae dicitur 'Dreisilbengesetz', in prima syllaba ῥήματος positus est. cf. Planta I. 241.

'Euge, euge, frugi es, Epidice, pugnásti, homo es.' ubi, si recte mutavi, 'e' vocativi quarta arsi productum esset velut Cas. 134 'mi animule, mi Olympio' et Ep. 57 secundum mensuram Leonis (cant. 10) 'Epidice. perdidit' in creticis. (ante mutatam personam).

VITA.

Natus sum Hermann Jacobsohn d. XXX. mens. Aug. a. 1879 patre Moritzio matre Elisabeth e gente Heinemann Luneburgae. Fidei addictus sum mosaicae. A parentibus iam puer studio veritatis atque amore scientiae imbutus per duodecim annos gymnasium Johanneum in urbe patria frequentavi, unde vere anni 1898 maturitatis testimonio instructus Friburgam, urbem Brisgoviensem, migravi. Post unum semestre Berolinum me contuli, vere autem anni 1900 Gottingam, patriae provinciae academiam, transmigravi. Ac primo quidem semestri linguis et litteris Germanicis imprimis vacavi, postea studiis linguarum Indogermanicarum litterarumque Graecarum et Latinarum operam dedi. Sodalis fui proseminarii Philologorum Berolinensis per tria, seminarii Gottingensis per quattuor semestria, per unum senior.

Quantum omnibus viris doctis, quorum scholis, exercitationibus, seminariis ut interessem, mihi concessum erat, debeam, grato animo habeo. Maximas autem grates ago Udalrico de Wilamowitz, Johanni Schmidt, quem immatura morte scientiae ereptum semper fideliter animo servabo, Henrico Lueders, qui mihi in omnibus rebus adiutor erat amicissimus, Leoni Meyer, Jacobo Wackernagel, qui, qua sunt benignitate, semper opera et consilio me adiuverunt, Friderico Leo, qui per omne tempus, quo Gottingae versatus sum, me in studia philologica incumbentem duxit iisque prospexit, Guilelmo Schulze, cuius ut discipulus vere nominer, omnibus viribus, ut potero, operam dabo.